TOMVS
HERBARII
OTHONIS BRVNFELSII

III

COROLLARIIS
Operi præfixis, quibus respondet
Calumniatoribus suis: passim
Errata quædam priorum
TOM. diluens.

LECTORI

S. Habes tandem Lector candide, desyderatum Opus OTH. quod præmatura morte raptus, posthumium reliquit, monumentum inque laboris sui, quem Herbarum indagationi tanto studio, eaque diligentia impendit, ut immortalis illum gloria, non immerito sequatur, uirum & pietate & eruditione nostri seculi clarum, quemque iure æques ueterum etiã stemmatibus. Tu lege, & fruere gratus.

VALE.

Cum Cæs. Maiest. Priuilegio ad Sexennium.

ARGENT. apud Ioannem Schottum.
M. D. XXXVI.

D. OTHONIS BRVNF. IN HERBARVM suarum descriptiones CORROLARIA.

In quibus respondet Calumniatoribus suis, passim Errata quædam diluens.

DE HELLEBORO.

Tomo I. fo. 38

HELLEBORVM olim in magna existimatione fuisse, adeoq; in usu, testatur Hippocrates: qui de eo etiam librum reliquit: testatur item Dioscorides, & Plinius: utuntur eo Aetius, Paulus, Alexander, & qui ex ueteribus sunt, uno tenore omnes. Et sane pharmacũ esse non adeo perniciosum, si quis rite utatur, experientia etiam nos comprobauimus, haud dubiũ, quin & alij cõplures. Quid ergo in caussa est, quod hodie tam ab usu exoleuit, & iã eo utendo tam pusillo animo, in Turbith uero, & alijs æque perniciosioribus, tam audaces atq; fidentes sumus? Quantum ad ἰκόνα attinet, crebro nobis opprobratum est, quod uerũ Helleborum nõ adpinxerimus: quasi ideo quod uerum sit, ignorassemus: nec aduertunt miseri calũniatores, nusquam nos hoc non testari, quod tantum Albũ ipsum ad manum habere non licuit, donec nuper in Heluetiorum montibus fuisset repertum. Vidimus Helleborum hoc dumis omnibus, folijs Plantagini similibus: caulẽ cauo, quadrantali, tunicis conuoluto, radicibus multis, tenuibus, quibus ipsum depingit Dioscorides. Alterum pro Nigro nobis demonstrarũt Herbarij: nec ab illo quoq; abludit descriptio.

NYMPPHAEA. NENVFAR.

Tomo I. fo. 38

DE Nymphæa neminem uideo dubitare, quin illam hodie perspectam habeamus: tantum de Apuleij descriptione dubium est, in quam nam partem accipiendum, quod thyrso nigro hanc esse describit, folijs leuibus, atq; herbæ Cicoreæ similibus: cũ palam constet, longe aliam esse Cicoream, pugnantemq; cum illa δὶς διαπασῶν. Atq; utinam is lapsus solus sit in eo scriptore. Ego quod in alijs supposititijs libris, ita et in eo autore factum fuisse conijcio, Rhapsodum quenpiam, ex Dioscor. obiter quædam exsuxisse, deinde de suis adiecisse, cæterum ut robur & autoritatem liber habeat, Apuleij nomen libro indidisse. Etiamsi extet Platonis Apoliensis liber uetustissimus, ementito tamen Apuleij titulo, typis nuper editus.

Plato Apolieñ.

ARVM.

Tomo I. fo. 50
Plin. lib. 1. cap. 16.

EST Aron magnæ cum Dracontio litis, ut inquit Plinius. Quidam enim esse dixerunt eandem. Glaucias satu discreuit, Dracontium syluestre Arum pronũciando. Aliqui radicem ipsam Arum pronunciarint, caulem uero Draconuum. Verũ si quis Dioscor. uerba exacte libret, uel herbas utrasq; oculis aliquando uiderit, statim quicquid est id caliginis, discernet. Habet Aron Draculculi folia, minora tamen, neq; adeo maculosa: caulem dodrantalem, purpureum, pastilli figura: candida illi radix, ad Dracunculi radicem accedens, quę quod minore acrimonia est, elixa comeditur. Exilit autem statim in Martio, inter primas herbas Veris; disperit in Iunio. Prouenit aũt in umbrosis, & frigidis. Ex quibus liquido constare cuilibet arbitror, quid sit Arum: nisi quis plane sit talpa. Dracontiũ uero suo loco pingemus. Aiunt, quod edendo est Arum: nostrum omne adeo gurgulionem adurit, ut nihil supra. Eam nobis ob caussam discutit Galen. 2. Aliment. Cyrenius, inquit, contra quàm in nostra regione Arum se habet. Nam illic minimum medicinæ, minimumq; acrimoniæ præ se fert: adeo, ut uel rapis utilior habeatur. Idcirco radicem quoq; in Italiam comportant, ut quæ facile putrefiat, aut regerminet, longoq; tẽpore perseuerare possit. Perspicuum quoq; est, hanc alendis corporibus esse accommodatam. Quibus uerbis apte liquet, multa nobis in scriptoribus pugnantia uideri, quæ si ad cœli, regionũq;

mutationem respexerimus, nullã prorsus habent pugnantiã. Sed obstat rursum, ꝙ radicẽ nigram Plinius dicit habere Aron, Dracontio maiorem, qua & manus impleatur. Optarim hoc loco seipsum explicare Pliniũ, uel Collitutium hic aliquẽ procedere in medium. Quid si, ut plerisq; in alijs, ita hoc loco Plinius uocarit hominẽ se esse, fallíq;, & labi potuisse? Alioqui tamen congeneres esse Dracontiũ, & Aron, prorsus est manifestum, solaq; magnitudine & coctura inuicem distare.

DRACONTIVM MAIVS.

Tomo. I. fol. 67. OPprobratur nobis a Cordo, pro maiestatis crimine, ꝙ geminę descriptioni Dracontij, adulterinas herbas adposuerimus: atq; inde tacite colligere nititur, ignorasse nos, quidnam sit Dracontium. Facilis certe error, non nostra culpa admissus, sed illorum, qui typos falso supposuere. Nam uerum Dracontium ex Brabrantia ad Joantiem Schottum missum uidimus. Bernæ item omnibus modis deliniatum, quemadmodum a Dioscoride describitur, locis natum umbrosis: caulis illi rectus, bicubitalis, baculi crassitudine, uersicolor, draconum maculis, similitudo cutis anguinæ, folia Rumicis, sibijnuicem implicita. Fructum in summo fert, ut Amomi racemosum, pastilli figura, excepto colore: qui antequam maturuerit, cinericius est, postea croceo colore redditur. Breuiter, Aro, exceptis punctulis, maculis, & folijs, per omnia simile.

ASARVM.

Tomo. I. fol. 71. DIuersas herbas esse Asarum, & Baccarem, uel ex hoc liquet, ꝙ diuersas illarũ historias Dioscorides contexuit, atq; item Plinius: sed uiribus æqualibus pollere, argumento est, ꝙ quę Dioscor. Asaro tribuit, eadem a Plinio quoq; adscribũtur Baccari. Nec obstat, ꝙ Itali Asarũ Baccarem uocant, quod in multis alijs etiã usuuenit, si modo de rerũ diuersitate conueniant. Ego uulgatum Asarum semper credidi hoc nomine designari, ipsum inq;, quod depinximus. Baccarem tamen fateor me ignorare, alioqui ruribus omnibus, ut inquit Vergilius, notissimam. Nam non esse Garyophyllos, quod Barbarus existimauit, uel puero apparet plane. Veratro enim nigro radicibus nititur Baccar, odore Cinnamomi, caule anguloso: quæ omnino non spectantur in Garyophyllis.

BACCAR.

Tomo. I. fol. 117 IN Asaro testati sumus, non credere nos, syluestres Garyophyllos uerum Baccar esse, quod Barbarus tamen ex aliorũ sententia pluribus nititur adstruere. Tamẽ ut iudiciũ ipsum latius pateat lectori, primũ Dioscoridis de Baccare, mox aliorum de

Lib. 3. cap. 45. Garyophyllis opinionẽ proponã. Baccar, inquit Dioscor. herba fruticosa est, quæ in coronas additur: cuius folia aspera sunt, media Violę & Verbasci magnitudine, caulis angulosus, cubiti altitudinẽ petens, adnatis appendicibus aliquantulũ asperis: flore purpureo, subalbicante, odorato: radicibus Veratro nigro similibus, quibus odor inest Cinnamomo proximus. Asperum, squalidumq; solum amat. Barbarus. Non desuere, qui Baccarem genus esse floris existimauerint, quem modo Gariophyllon uocamus, sed syluestris: nunc alnles ij spectantur, ab odore ita cognominati, tanta uarietate, amplitudine, pulchritudine, ut Rosę pares, nõ inferiores uideri possint, cum eaq; de principatu certent: quando nec colore superentur purpureo, uermiculato, candido: nec odore, nisi ꝙ a longinquo plus olet Rosa recens. Iã nihil rosa fugacius, longissima nanq; decerptis mora dies, Garyophyllo in triduũ, & amplius uita, uigorq; durat. Aliquibus tanta magnitudo, Patauinarũ pręcipue matronarũ cura, ut orbẽ utraq; manu cõplecti fere nequeas. Folia quaterna, quinaq;: nonnullis Rosæ modo numerosa, mirabili quorũdã Alabastro culturæ ratione, qui dehiscens, ipso staminũ loco alabastrum ostendit aliũ, pandentẽ se paulo post in florẽ, caliculo priore consenescente. Scio putare aliquos, Garyophyllos ueteribus fuisse Caltham. Sed cũ Vergilius eam nobis luteolo cecinerit colore tinctã, nec Plinius a Vergilio dissentit, nondum uideo, qui possit id statui. Atq; hactenus Barbarus. Iam

Asaro

Asaro Garyophyllos cõfert, atq; ut de Leucoiæ & Verbasci magnitudine couueniat, tamen neq; de radice, neq; coliculo anguloso, neq; cinnamomi odori respondet.

CALTHA.

CElebratur a Vergilio in Buccolicis Caltha. (Verg. Buc. 2)

Huc ades o formose puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ, calathis tibi candida Nais,
aPllentes uiolas, & summa papauera carpens,
Narcissum, & florem iungit bene olentis Anethi,
Tum Casia, atq; alijs intexens suauibus herbis
Mollia Luteola pingit uaccinia Caltha.

Quo loco hactenus mire se torserunt Grammatici. De hac herba, nisi forte paucissimis medicis, quicq; est compertũ: idq; nõ de Caltha modo, uerũ & de Liliorũ generibus, de Violis, atq; de Narcisso: uerũ de his suo quoq; obiter attingemus loco. (Columella in horto suo.) Certe Caltham Violarum esse generis, indicio sunt Plinij uerba. Violarũ plurima genera, Purpureæ, Luteæ, albæ: plantis omnes ut olus satæ. (Plinius lib. 21. cap. 6) Ex his uero, quæ sponte apricis & macris locis proueniunt purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnoso exeunt: soleq; Greco nomine a cæteris discernuntur, appellata ἴα. Ab ijs Ianthina uestis. Sed sanius maxima autoritas luteis. Genera ijs Tusculana, & quæ Marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum uero sine odore, minutoq; folio Calathiana, munus Autumni, cęteris Veris. Proxima ei Caltha est, concolori amplitudine: uincit numero foliorum Marinam, quinq; folia non excedentem. Eadem odore superatur. Est enim grauis Caltha, non leuior, quã Scopam regiam appellant: quanq; folia eius oleant, non flores. Vides Violæ speciẽ esse Caltham, eamq; luteam, & graui odore. Quo loco suspicatus sum, si forte Dioscor. Leucoion uelit, præsertim tertij generis, luteis floribus, & odoratis, præcipui in Medicina usus. (Caltha, fortasse Leucoion.) Quanq; Barbarus in Corollario Baccaris, ex sententia aliorum referat, quosdam ueterum putasse Garyophyllon Caltham. Scio enim, inquit, putare aliquos ex ueteribus, Garyophyllon fuisse Caltham. Quod multo facilius ego credã, q; Garyophyllos esse Baccarem. Suspicio tamen sit de Caltha nulla.

LAVREOLA, CHEIRI GARYOPHYLLI.

NIsi me prorsus fallant oculi, nares, sensus, & omnia, uidentur mihi ad unguem picti a Dioscor. Garyophylli. (Tomo. I. fol. 138.) Nam præterq; q; figura Violis proximæ sunt, etiam colore cerulei, albi, purpurei, atq; lutei conspiciuntur. Præterea autumnales. Sunt enim quæ bis, sunt quæ semel, sunt quæ in Autumno tantum floreant, durentq; per hyemem in coronas iuuenculis: quales Argentorati aliquot nouimus, atq; uidimus luteos. Tam non abhorret, si cui durius dictũ uideatur, in Leucoia esse autumnales Violas. Cheiri interpretantur Arabes. Nec dissentiunt ab interpretatione hac doctissimi nostra ætate. Quod si damus, nihil est, q; possint repudiari ab hoc genere reliquæ species, tam numeris omnibus ad Cheiri similitudinem accedentibus. Est & aliud genus Garyophyllorum: de quo in Caltha, & Asaro. Nec hoc quoq; obscurũ esse doctis arbitror, q; Leucoiorũ nomine (quod Albam Violam significat) interim nigras, purpureas, omnisq; generis alias designari: ipsoq; met se sic explanante Dioscoride. Nec mouere etiã quenq; debet, quod & Barbarus et Vergilius queruntur, Cerulea quæ sit, nõ constare. Vidimus nos inter huiusmodi Garyophyllos eo colore, easq; frequẽtes, uulgari nomine Rœmisch Negelin, etiãsi odore minus grato. Dicã quoq; & hoc cũ Vergilio, late patere naturę uim, et admirabilẽ eius esse maiestatẽ, qua potest multa ubiq; uariare, & quę nobis, & nostro orbi negauit, alijs dedisse, aut Violarũ appellatione, alia etiã censeri florũ genera. (Naturæ uis.) Nec me fallit Cominis Nuenarij sententia, qui Narcissum interpretatur pro Garyophyllis: uerũ nõ illos, sed quos uulgo Graſzblumen appellant. (Herm. Comes a Nauar.) Hęc ipse facile ex ipsius uerbis deprehendes, ad nostros flosculos collata Dioscoridis de Narcisso historia. Vide de hoc & in Narcisso Tomo II. fol. 129.

VIOLA ALBA.

Testatur in Cōmentario tertij lib. Dioscor. ca. 139. M. Vergilius, Leucoiorū nomine, in Græcis oēs indicari Violas has, quę primo flores suos, pferūt. Deinde uiolarū nomine q̃ plurima etiā alia censeri florū genera. Quod si damus, nihil admodum hallucinati sumus, q̃ flores albos, & luteos, qui initio Ianuarij florū omnium primi erūpunt, albas quoq; uiolas nūcupemus: quū et qualitate, & odore prorsus conueniant. Sed id Vergilio tantū obiecisse uolumus, nihil certi affirmare. Est enī frutex potius, q̃ herba, cuius florē pro alba uiola, ex Columellæ horto nos credimus. Nempe Dioscor. Cypron, quē alio nomine Ligustrū interpretantur, nō illum quidē Conuoluuli, tympani figurā referentē habere, quod somniarūt hactenus Grāmatici, sed eius plantæ, quā uulgato uocabulo uocēt Beynhœltzlin, uel Hartryegel. Quod ut ita se habere doceamus, Dioscoridis uerba adscripsimus. Ligustrū, inquit, arbor est Oliuę, folijs circū ramos latioribus, mollioribus, & uirentioribus, flore candido, muscoso, odorato, semine Sambuci nigro. Folia adstrictiorē uim habent. Iam expende singula. Folia Lauri, minora tantū, florē muscosum, grana Sambuci, uim adstrictoriā. Omnia insunt. In priori etiā editione secundi Tomi, pro Maurorū Alkanna interpretati sumus. Quā Pandectarij scriptor, nobis consentiens, pro Cypro interpretatur.

Beychhöltzlin Hartryegel. Lib. cap. 116.

SYMPHYTON.

In maiore Symphyto designando, non credo me aberrasse. Petręum sciens non agnosco. Vocamus autem Germanice maiorem, Walwurtz.

SOLIDAGO.

Solidago, præcipuum nomen Consolidæ maioris, uel Symphyti.

IRIS SYLVESTRIS.

Folia habet Iridis latiora, & in turbinem mucronata, quorum medio caulis erumpit crassus, cubitalis, ex quo siliquę triāgulares dependēt: in quibus purpureus flos, in medio puniceus. Semen in folliculis simile fabis, rotūdum, rubrum, acre. Radix longa, geniculata, ruffa. Vide igitur, num nam ea sit, quā nos Germanice uocamus, Gelb Schuuertel, meis posita ab oculis herba, idq; in exacto Septembre, ubi iam sementem produxerit herba. Nihil non repetimus uel ad perpendiculū etiam descriptioni quadrare. Videtur & Vergilius in Commentario suo illam deprehendisse.

Dioscor. lib. 4 cap. 25.

PENTAPHYLLON.

Haec herba rixæ, de qua doctissimi uiri hodie digladiantur, quænam reuera ea sit. Suntq; de ea ultro, citroq; scripti Commentarij Leoniceni, Collinutij, Manardi, Fuchsij, & Cordi. Quorum si cui accedendum sit opinioni, malim Manardi, q̃ cęterorum. Plinius etiam in fabula est, q̃ fuerit hallucinatus; desyderatur is rursum in Collinutio. Negat Manardus, neq; Leonicenū, neq; Collinutium recte agnouisse Pentaphyllon, aliamq; exhibet, a superiorum opinione longe diuersam. Cui rixæ si me interponam, uereor ne, quod frequenter fit, ut in sequestrum cudatur hæc faba. Opiniones notiores sunt, q̃ ut denuo a me repetantur. nā in utroq; Tomo copiose recensuimus: quas quo magis admiror, excutio. Video enim singulorum existimationibus aliquid deesse, quod Dioscor. descriptioni repugnet. Primum quod de uulgata nostra Penthaphyllo affertur, nihil certius est, q̃ hanc non esse ueram Pentaphyllon. Deinde, q̃ in Manardi Tormentilla folia Menthæ non conspiciuntur, q̃ Dioscor, inq; neq; fraga profert, ut uult Plinius, etiamsi cætera respondere uideantur. Neq; etiam Saniculam esse Pentaphyllon, indicio est, q̃ Plinij fraga non habet, neq; folia Vitis, neq; augetur, & desinit cum Vere: neq; patulum, sed satis mediocre: neq; in coliculo crebra internodia, quod Theophrastus noluit. Quod si igitur nullis horum uerum cognoscas Pentaphyllon, fortasse hallucinatus est Plinius? Imo forrasse etiam Dioscorides, qui Menthæ folio æquiparat, nulla prorsus idonea comparatione. Id ut temere non affirmem, ita & hanc, et alias ipsius metaphoras doctis diligenter excutiendas relinquo.

Tomo. I. fol. 311. Tomo. II. in Appendice passim.

Branca

BRANCA VRSINA.

BRancam ursinam Hermolaus Barbarus capite de Arctio, lib. 4. ueteribus ignotam fuisse scribit: alioqui tamen iisdem uiribus preditam, nempe suppuratorijs, quibus & Ebiscum. Euricius Cordus, diligens rerũ uestigator, interpretatur Dioscor. Achantum. Nec nos id ignorasse, testatur Exegesis nostra Tomo. 2.

Dioscor. lib. 4. cap. 107.

BISTORTA.

HVius in hęc uerba meminit Barbarus li. 4. cap. Catanance. Catanance, inquit, Thessala est herba. Huius secũda species ab Herbarijs nostris inuenitur Bistorta. Verũ huic opinioni reclamant Cordus, et alij; ꝓpterea, ꝙ nihil prorsus simile habeat Catanances historia, unde merito eius species iudicari queat. Suspicatur idẽ Cordus, forte Britannicã esse Diosc. modo folia illi essent hirsutiora. Deinde radix quoq; pręgrandior. De quo cõsule Dialogũ illius. Habetur aũt duorũ generũ: quędã leui betę, altera rigoso folio. Collinutius nomẽ inde accepisse cõijcit, ꝙ germinans, ab radice serpẽtis exuuijs amicta apparet, idq; in acumine herbę: quas grandescẽs abijcit paulatim. Sunt qui Tormentillam quoq; uocent Bistortam, sed alia est, etiamsi uiribus fortasse par.

Idem lib. 4. cap. 135.

SMILAX.

AGit de Smilace Dioscor. li. 2. ca. 163. atq; Hederę, inquit, folia habet Smilax hortẽsis, molliora tantũ, grandes caules, & in caulibus capriolos, ꝓpinquis fruticibus se implicantes: tanto undiq; incremẽto, ut scęnas etiã atq; tentoria inumbrẽt. Siliquas fert Fœnogręci similes, lõgiores tantũ, crassiores: in quibus semina renibus animalium similia, ne colore uno, uerũ ex altera parte leniter russa. Quibus uerbis opinor expicuisse, atq; acu (quod dicitur) pinxisse fabacei generis semina: quę passim hodie decoris tantũ gratia in hortis serunt mulierculę: atq; nomẽ indiderũt, Gallicas, uel Italicas fabas. Etiãsi M. Vergilius quid id esset, ingenue fateatur se ignorare, neq; unq; in cõspectũ eius uenisse. Memini ego, quando ne in Germania quoq; usq; cõspicari licuit, & ditioribus tantũ cognitas: nũc a uulgo etiã seri cœperũt magna cum usura.

VNGVLA CABALLINA.

VNgularũ plures esse species, q̃ unã, ex scriptorũ historijs satis liquet, præsertim Dioscor. de Arctio, Personacia, & Tussilagine: quę quidẽ tria capita nos sic interpretamur, ut nostrã quidẽ Vngulã, quã pinximus, Tussilaginẽ existimemus; etiãsi in priori editione secũdi Tomi uisi simus dubitare. Arctiũ uero uulgatã Bardanã; postremo Personaciã, herbã quam Buocholter Germanice uocamus; a superioribus nequaq; dissimilem, nisi ꝙ caliginosis, et interdum etiam tenebrosis proueniat. Sunt qui Nymphæam quoq; existiment Vngulam esse Caballinam. Quibus non repugno, modo rem sinant esse a superioribus aliam, atq; diuersam. Quod autem reliquas non pinxerimus, pictoris culpa atq; ignauia factum, non nostra.

Tomo. I. cap. 42. Tussillago. Arctium. Personacia.

De uulgata PENTAPHYLLO.

EX Dioscor. historia apte constat uel cęcutienti & palpitanti, nõ esse hanc historię respondentẽ Pentaphyllon: alioqui tamẽ & ipsam quinq; foliorũ, & innumeris usibus idoneã. Quo igitur nomine & hanc quoq; existimabimus baptisandam esse? Scio, qui Pedẽ esse coruinũ interprerentur, sed quibus rationibus, nõ uideo: quum inter aculeatos a Theophrasto recenseatur Coronopus, hęc uero tota lenis sit.

Lib. 4. cap. 45.

TORMENTILLA.

TOrmentillę in Pentaphyllo facta est mẽtio, et sunt qui eam pro uera quoq; Pentaphyllo existimẽt: quorũ sentẽtię ut tutiori, & ipse quoq; accedendũ esse suaserim, etiãsi septẽ, non quinq; folia habere uideatur: quod solũ habet Barbarus quod obijciat. Verũ huic belle respondet Manardus, & quinq; quoq; folijs talẽ ex Hungaria sibi esse cõpertã. Est tamen, ꝓpter quod Barbari uerba repetenda mihi putẽ. Est, inquit, & quę Tormẽtilla uulgo dicitur, Quinq; folio simillima, nisi ꝙ septẽ, nõ quinq; habet folia. Potest a nobis Heptaphyllos uocari, hoc est, Septẽfolia, ex cuius radice pastillos Theriacos (si dijs placet) Officinę pro uiperarũ carne subijciũt: quoniã uiperę modo, ut ipsi putant, nunq; uisuntur.

Tomo. I. fol. 85.

Loco quo supra.

SANICVLA.

Tomo. .I. fol. 91.

ACtum de ea in Pentaphyllo, pro qua a quibusdam reputatur. Scriptorum sententias ipse potius expendito. nam ordine collocauimus singulas.

FRAGA, uel Fragaria.

Tomo. II. fol. 42.

LEgo utrunq; nomen usurpari pro herba ipsa, quæ fraga, pfert: etiamsi alioqui propter imitatẽ foliorũ, pro Trifolio quoq; nomen illi faciant. Cęterũ quum & herbã & fructũ nota esse sciam, de nomine ipso laborandũ esse nõ censeo. Sed Pentaphyllon non esse, si nulli sunt scriptores reprehendentes, ipsa tamen reclamaret, si modo eam Plinius intellexit, non Collinutij Saniculam, pro qua tantopere digladiatur.

CALCAR EQVITIS.

Tomo. II. fol. 84.

NOmen a similitudine calcaris desumptũ, cui respondet flosculus eius herbę, colore ueneto, tam lepido atq; arridẽte, ut inspectari nunq; satis queat, merito Regius uocari debeat. Apud Dioscor. uero quale sit, necdum satis est compertũ. Barbari inter Solidagines constituunt, cui Regiæ nomen fecerunt: & id quoq; præter ueterũ traditionem. Quare ut quod Dioscor. caput constituam, hac uice non habeo.

BETONICA.

Tomo .I. fol. 89

QVid celebrius Betonica? & tamen ne illa quoq; euadere potuit Scriptorũ controuersiã. Pinxit hanc Querci folio Dioscor. Plinius Lapathi. Rapitur hoc in intricabilẽ calumniã ab Leoniceno, ꝙ fortasse Britannicam pro Betonica demõstrarit, nõ sine graui errore. Defendit tamẽ id graphice Collinutius. Nos priorẽ acu pinximus: nec est, ꝙ non Dioscoridis historię ad unguẽ respondeat. Tantũ hoc rememoratur, ꝙ plęrasq; uires a Scriptoribus sibi attributas, meras fabulas esse comperimus. Nisi magni quondã (quod credam) ad eius usum sit opus, & supstitione ethnica. Nam herbã per se id non posse, periculũ ipse feci nõ semel. De speciebus Betonicę, nempe mascula & fœmina, in Germanico Herbario meminimus. Tertiã etiã illi adserentes, quã S. Petri clauẽ, uel Clauem cœlorũ, & flores Clauiũ, herbã item Paralypsim uulgo appellant, nõ temere credã, donec alius quispiã rectius illam nobis depingat.

In minori, fo. 14. In maiori fol. 14

BRITANNICA.

Vide supra in Bistorta, lib. 4 cap. 2.

VNius tantum Cordi, quod sciam, suspicio, Bistortam fortasse apud Dioscor. designari hoc nomine: sed diffidens ipse sibi, mox facessit ab ea opinione. Apuleius, uel quisquis tandem est is scriptor, Betonicam etiam Britannicam appellat. Contra M. Vergilius, in cunctis fere Græcorum exemplaribus, Britannicæ caput desyderari ait, superstitioseq; & impudenter adiectum.

Flores Clauium, uel Clauis S. Petri, uel herba PARALYSIS.

Dioscor lib. 4 cap. 155. Barbarus.

SI non est Betonicę tertia species hęc, qđ in Germanico nostro Herbario nitimur adstruere, nõ habet illa apud Dioscor. quod compertum habeã, aliud nomẽ. Adscribam tamen, quæ Barbari super hoc mihi cõperta sunt, in suo Corollario. Locus est de syluestri Cucumere. Alius quoq; flos, inquit, habetur Bellis nomine, pratẽsis, & quadamtenus rubens, aduersus strumas efficax, ut Plinio uidetur. Sit autem Bellis idem qui & Belluis, siue Bellio, & ipse flos pratensis, quem Plinius quinquagenis quinis barbulis pastillicantibus coronatũ scribit, animaduertendũ puto. Quanq; eñ luteus uidetur a Plinio describi Bellio, uolumine primo & 20. Bellis uero cãdidus, sexto & uigesimo, nõ tamen ita in omnibus Plinianis codicibus luteũ esse legimus. Quidã luteũ ei semen, nõ ipsum florẽ audiunt, et Paralysim uulgo dictam interpretantur: qui & primus Veris flos, & Margarita cognominatur: et hyeme quoq; tota nascitur, ex occidẽte, ut quidã existimant, in Italiã cõuectus. Quinquagenas tamẽ ei ternas, nõ quinas barbulas inuenio. Laudatur ad Paralysim, a quo & nomen. Itẽ ad podagrã, & Ischiada. Paralysi uocatę florẽ habet similẽ, paucioribus tantũ barbulis. Flos, qui quoniã a lõginquo cõspicuus est, Paradelos uulgo dicitur: folio eñ nõ ad modũ diuerso, nisi ꝙ serratũ est huic, nõ Paralysi. Sũt qui Buphthalmũ, et bouis oculum

lum appellent. Nam qui Antipatrum uulgo rentur eum esse, liquido falluntur. Hæc Barbarus. Quæ omnia si acute examinentur, prorsus nihil conuenit ei, quam nos hodie herbam Paralysim uocamus. Sed neq; hyeme etiam durat, imo statim ini tio Maij disperit, cum alij flores cumulatim erumpunt.

BRVNELLA. Consolida.

SVnt Solidaginū multæ species, uel Dioscoridis etiam testimonio, uerum de nominibus non conuenit. Neoterici quadruplicem depingunt, Maiorem, Mediam, Minusculam, & Regalem. Maiorem Symphyton uocant: Mediam autem Solidaginem, Teutonice, Gulden Guntzel: Minusculam, Amaraciam. Quartam herbā eam, quam Calcar equitis suo loco sum interpretatus. Rursus Mediā atq; Auream illam in tres secant species. Primam quidē Chryseam dictam, flore ueneto. Alteram flore purpureo, atq; Brimel dictam Germanice. Tertiam maiusculam Solidaginem, folijsq; Beræ, exilioribus paulo, sine flore, Grosz Guntzel. Omnia hæc ex uulgi sententia, sine Dioscoridis autoramento.

FVMARIA, Fumus terræ, Capnitis.

COmparatur Coriandro Capnitis hæc, neq; inepte: unde a quibusdam, agreste quoq; Coriandrum appellatur, herba in cultis atq; pinguibus omnibus fertilissima. Altera, quam pedibus gallinaceis comparat Plinius, ignotior. Nascitur inquit, Capnos prima, quā pedes gallinaceos uocant, in parietibus & sepibus, ramis tenuissimis, sparsisq;, flore purpureo, uiridis. Cæterum de Gallinaceo pede, lege in suo corollario. (Plini. cap. 14)

PES GALLI.

MEminit Gallinacei pedis cuiusdam Dioscorides sub nomine Caucalidis, cauliculo dodrantali, aut maiore, hirsuto, folijs Apio similibus, simili modo per extrema multifidis, hispidisq;, candida in cacumine umbella, suauiter olente. (Lib. … ca.) Ea absq; controuersia syluestris Daucus recte existimatur, quam ipsam tam exprimit, q̃ nullum ouum ouo simile existat. Secus Plinius, qui Capnitim primam, interpretatur Gallinaceos pedes: de qua in Fumaria iam diximus. Quem locū sic explanat Barbarus, Ex eo, q; Capnon Plinius a nostris Pedes gallinaceos uocari scribit, magnus plerosq; inuasit error: existimantes Capnon a Dioscoride monstratum, non aliud genus esse, q̃ quæ uulgo Sanguinaria, & Galli crus dicitur. (Dioscor lib. 4. cap.) Pudenda & pœnitenda inscitia, nisi frons attrita multis esset. Quandoquidem ea quæ Galli crus uocatur, Gramini est tam similis, ut ab eo forte seiungi non admodum possit: nisi q; folio minore cernitur, & fibris potius q̃ radice nititur. Id autem quod in utroq; summo frutice, Gallinacei pedis imitationē habet, candidius in hac q̃ in Gramine conspicitur. Verum & ipsum hic et Barbarum falli, cōtendit Comes Nuenarius. Fallitur, inquit Barbarus a similitudine nominis, qui Galli crus putat esse Cristam gallinaceam: cum Crista gallinacea apud Dioscoridē manifeste sit species Verbenæ, Sanguinaria uero Graminis. (Tomo II. fol. 136.)

ANTIPATER.

ANtipater surculosus, & flore luteo est, quasi Cunilaginis minore: folia Rorisma rini elatiora, minusq; longa. Christophorianam, & Oculū consulis nōnulli uocant. Huius illa proprietas, q; flores postnascentes, altius tollūtur, q̃ prius nati. De cuius rei argumento uideri posset aliquib. hanc herbam esse, quam Plinius Impiam uocari tradit. Herba inquit Impia uocatur incana, Rorismarini aspectu, thyrsi modo uestita, & capitata, unde alij ramuli assurgunt sua capitula gerentes. (Plinius lib. 24. cap. 19) Ob id Impiam appellauere, quoniā liberi supra parentē excellant. Alij potius ita appellatā, q; nullū animal eā attingat, existimauere. Hęc ait, inter duos lapides trita feruet: pręcipuo aduersus anginas, succo, lacte & uino admixto: neq; tentari unq̃ eo morbo, qui gustauerint. Sunt qui in auiū nidis inseri aliquid ex ea putent: nanq; ita nō strangulari pullos auidius deuorantes. Hæc Plinius, Barbaro citante. Addit deinceps: Cæterū quanq; similitudo in ea proprietate sit, multa tamē sunt inter utranq; discrimina.

Primum

Primum, quod Impia incaua herba est, Antipater nō est. Alterum, quod trita non feruet. Tertium, quod nec capitula, nec thyrsos gerit, sed flores dumtaxat. Satyriam sunt qui uocent, quod antea floreat, quàm folia producat. Pandectarius Filium uocat ante patrem, floris Buphthalmi, cuius stipites faciūt ramulos plurimos: sed ramus post natus, excedit lōgitudine ante natum: ob hoc Filius ante patrē dictus. Vel Oculus Christi.

SATYRIA.

Tomo I. fo. 48

HActenus, quod sciam, nihil de Satyriarū uel generibus, uel picturis ab aduersarijs nobis exprobratum est. Egimus & de ijs diligentius in Germanicis Herbarijs. Tantum illud obiter ænigmatis uice proponere libuit. Quoniam Aristolochię quędam species Satyria inscribitur, num eam fortasse nos pinxerimus in priori Tomo, pro uera Aristolochia rotūda, rotunda scilicet & bulbosa, decepti eius radice? Sic enim Cordus nobis obijcit: hęderaceis floribus constare rotundam Aristolochiam, minime rutaceis: quod etiam Dioscoridis historia affirmat. Facilis error. Sed & ueram Aristolochiam deliniauit nobis Nicolaus Prugknerus mathematicus, ex Beñfeldij nemore, quam uulgo Osterlucey uocant: de qua suo loco scripsimus plenius.

BORRAGO. BVGLOSSVM.

COnsensu neotericorum, quam nos hactenus Buglossum uocauimus, ea est, quę simili modo habita est Borrago. Contra, Borrago uera Buglossos, uel Dioscoridis Cirsium, uel Crisium. Indicia atque argumenta ex scriptorū paradoxis ipse requirito.

VERBENA.

Tomo I. fol. 120.

ET in hac quoque depingenda hallucinatū me succlamat Cordus, ut qui non exacte perpenderim Dioscor. historiam: uerum plus secutus sim uulgi opinionem, doctorumque hominum, qui hactenus in precio sunt habiti. Quasi uero ex professo ego id agā, atque pollicear, ut designationes meas omnes, pro oraculis habere uelim, quæ somnia potius esse conuincuntur. Sed fortasse bonus uir, Epistolas meas præliminares non legit. Quid autem, quod nec ipse ueram uerbenam designauit? Noui & ego plus quàm centum herbas adulterinas, pro ueris haberi: quod locis aliquibus etiam indico: uerum genuinas pro illis substituere, nec ipse ualeo, nec uidi, qui hactenus pręstiterit: nisi coniecturas & existimationes, pro ueritate habere uelimus.

CHAMEDRYS.

Tomo I. fol. 125.

HAnc pro uulgata Gamandręa uendicaui, consentientibus folijs, magnitudine Menthæ, colore & diuisura quercus, serratis, altitudine dodrantali, flore purpurescente, & ipso etiam exiguo.

RICINVS.

SVnt Latinis Ricini, Grecis uero κρότωνες insecta animalcula, quæ canibus adhærent præcipue, miris modis negocium ipsis facientes. His simile existit semen syluestris Sesami, in uuis asperis contentum, quod corticibus exutum, Ricinum animal repræsentat. Vnde & herba ipsa dicta Ricinum. A Mauris Kerua, & Latinis non recte Catapucia. stillant enī Titimalli, siue Lactariæ herbæ omnes, quotquot sunt, lac: hæc uero ἀγάλακτος est. Non est igitur Catapuciæ minoris species secunda: cum ea lacte sit refertissima. Dioscor. Cici uocat: unde et Cicinum oleum, de quo
Lib. 4. ca. 167. in primo eius libro. Vides autem ex Dioscor. descriptione, nihil conuenire Catapucijs cum hac.

NARCISSVS.

Tomo 1. fol. 129.
Tomo II. fol. 240.

QVid de Narcisso olim senserimus, cum primū Herbarū Tomū describeremus, abunde disseruimus in Rhapsodia, quę inibi est de Narcisso & Hermodactylis: uerum huic sententiæ nostræ reclamarunt, primum Comes Nuenarius, deinceps Euricius Cordus. nam aliorū iudicia minime audiui. Ex quibus Nuenarius, florem Garyophyllatum adseuerare nititur ueram esse Narcissum, ignoratam esse hactenus tum medicis, tum pharmacopolis: se uero illam nunc deprehendisse. Cordus sen-

dus sententiam nostram una cum pictura improbat, at uerum Narcissum nequaquam ipse indicans. Fuit autem tum sententia nostra, uel februos illos flosculos, caule, floribus & bulbis uerum Narcissum referentes, uel certe autumnales illos, quos uulgo Zeitlosln uocant, Narcissum fortasse esse: ea tamen modestia, ut interim doctiorum super ea re requiram arbitrium. Sententię nostræ subscribit Philippus Melanchthon, qui in rudimentis suis Grammaticis, Narcissum Zeitlosen interpretatur: & quos recensere possem item alij. Scripsit de eo fideliter M. Vergilius, quę fidelibus atque attentis Lectoribus commendat. Scripsit & Barbarus. Ex quibus poterunt legentes cōiecturā facere, cuinam potius debeant accedere sententiæ, quisque ex omnibus nos propius ferat ad scopum. Narcissi nomen, sicut & in multis alijs, cōmune forte appellationē habet: quod si damus, in solo nomine hęreamus oporter, neglectis interim rebus ipsis, tumultuanter nunc illā, nunc aliā esse designātes.

HERMODACTYLI.

Dioscoridis lib.4.cap.88.

Quærendum superioribus relinquimus, inquit Vergilius, sint ne, quos medici & Herbarij Hermodactylos uocant, Ephemeron, an Colchicum potius apud Dioscoridem. Digna quęstio profecto: quam utinā Apollo quispiam nobis dissoluat. Nam perpetuæ illæ coniecturæ, quid aliud, quam instabilē, incertū, atque adeo tędiosum reddunt legentē: quū semper rimetur, semper discat, & nunquam tamē ad ueritatis scientiā perueniat. Quod sane Hermodactylos illos curiose nimis obseruantibus, usu uenire uideo. Fuimus nos aliquando in ea sententia, ut Narcissum crederemus. Nec nos solos habuit hic error. Fuerūt, qui Colchicum rebantur apud Dioscor. sequens certe illud Ephemeron. Videtur enī utraque illi cōuenire historia. Verum id inficiatur Cordus: eo uidelicet innixus augurio, quia uenenum est Colchicū, & fungorū more strangulando enecat. Quod nostri sane Hermodactyli non faciunt: quorū etiam catapotijs Ischiadi & Podagrę, medicamur. Sed neque Ephemeron esse ꝓbat, quia digituli crassitudine radicē unam pręlongam, adstringentem, & odoratam habeat Ephemeron. Quod in nostris Hermodactylis nō cernitur. Nasci tur etiam in syluis, atque opacis: cū nostri Hermodactyli potissimū in demessis pratis, atque apricis, pueniant: deinde purgatorię sint facultatis, quā tamen cernimus manifeste in nostris Hermodactylis, nullā tamen prorsus neque in Dioscor. neque in Galeni Ephemero mentionē de hoc fieri. Ex quib. infert, credere se, neque Dioscor. neque Galenū usque illius meminisse, uel ipsis ponus fuisse ignotā, atque serius post Galeni tempora fuisse in usum receptam herbā. Vide ad hoc Corollariū Barbari Dioscor. li. 4. cap. 87. Ex quo colligitur, ut Narcissum, ita & Hermodactylū alijs herbis cōmune uocabulū esse: nostrum aūt hoc nequaquam, quia adstringendi uires habet Quinquefolium: nostrū uero strennue impellit, uentremque molliorē reddit. Quū igitur tam incerti sint Hermodactyli, uiderint pharmacopolę, quibus nam radicibus, pro pilulis suis cōficiendis usurpent: ne cum mederi morbis uelint, uenenū potius propinent.

CORONOPVS.

Tomo.I. fol.245.

Coronopoda, Galli crus interpretor in priori Herbario, uulgatam nomenclaturam Herbariorum imitatus: cum herba etiam alia significetur hoc nomine, cui Pedi Gallinaceo est nomē: ut in eius herbę Corollario indicauimus. Videre est hoc sępe apud Dioscor. multas Chamępytes, multos Hermodactylos, & similes id genus interdum appellari: namsi herbæ nomen, Corui potius pedem græce referat, Nec admodum aberrarer, si quis etiam Cornicis potius appellitet pedem. Condonabilis error, modo de rebus optime conueniat. Sed quum hanc Dioscorides uelut omnibus notissimam, obiter tantum depingat, omissis circumstantijs alijs, factum est, ut Auicenna, deinde neoterici fere omnes, in ea herba decepti sint. Id latissime disputat aduersus Auicennam Leonicenus. Nec nos fortasse ab eo errore immunes sumus, qui pro Batrachio potius interpretati sumus, Officinas, & Herbidas imitati. Sed age, demonstret eam nobis digito Cordus. Certe ipsius Dioscoridis

dis historia adiutus tantum, neq; alijs innixus coniecturis, falli & ipse poterit. Sunt enim innumeræ oblongæ herbæ, quę per terram sternuntur, & folia incisuris diuisa habent. Hic tamen pudendus nimium error, quod herbam, cui Ysenhütlin uulgo nomen, in id genus Coronopodum retulerim, ob foliorum similitudinem, quæ pedes corui tam expresse referunt, ut nulli rei possit apposititius comparari.

BATRACHIVM. Ranunculus.

Tomo. II. fol. 243. RAnunculus quibusdam Apiũ risus, alijs uero Coruinus pes. Sic scribo in Exegesi mea. Vnde manifestum est, me de Coronopode non prætermisse doctorum hominum dissidium, utcunq; tamen in uulgatam opinionem concessisse. Cito & Comitis de Aquila sententiam, quam paulo post subnotaui. Sed uidetur & is aliam cognouisse Coronopoda: quemadmodum in Pede gallinaceo diximus de Ranunculis: de quo doctissime disseruit Barbarus. Sententiam eius de his in Corollario eius herbæ require.

Dioscoridis lib. 2. fol. 145.

MARRVBIVM.

Tomo. I. fol. 160. VIdetur addubitare Cordus, num forte quæ dicta est hactenus Melissa, uerum Marrubium sit, tum propter odorem citri, tum ex Nicandri Græci poetę in Theriacis, autoritate. Meminit is Marrubij cuiusdam, quod aduersum serpẽtium ictus remedio sit. Sed quod dictum Melissophyllon sit, & ut uerbis eius utar, primo uiridantis epitheto, designat, πρασίοιο χλοανθέος. Deinde subiungit,

τὴν ἤτοι μελίφυλλον ἐπικλείουσι βοτῆρες,
εἰ δὲ μελίκτηναν, τὸ γὰρ περιφύλλα μέλισσαι
ὀδμῇ ψελγόμεναι μέλιτος ῥοιζηδὸν ἵενται. Id est,

Hanc quidã Meliphyllon uocant pastores. Alij uero Melictęnam. Etenim circa folia apes odore delectatæ mellis, sonore perstrepunt. Id sibi nomẽ Melissophyllon usurpauit, quoniam apes ipsa herba delectantur. At nostrates, inquit Cordus, apes ea non delectantur, imo refugiunt potius. Deinde citrinum malum non olet, imo fœtet. Quid si unius generis, nempe Marrubij, diuersæ species sint? Nam ubi Balloten Dioscorides Marrubium nigrum uocauit, mox huic, ueluti secundæ speciei Apiastrum subiungit, mox Marrubium genuinum, ad postremum Stachyn Marrubio similem. Videas & historiam omnium non admodum sibi dissentire, & in qualibet reperiri, quod cum alijs conueniat. Quid, quod Marrubio similis quædam herba, a spicæ similitudine Stachys appellatur a Dioscoride, cum tamen spicata nequaquam sit, neq; spicatum Marrubium? Ita si pergamus curiose omnia rimari, & comparationes anxie inquirere, uix paucissimas reperies apud Dioscor. quibus in omnibus conueniat; imo in quibusdam dissimiles, & parum ad rem attinentes similitudines: quibus si firmiter nitamur, quia res ipsæ non sibi respondent, ad ueram cognitionem nunquam perueniemus. Marrubium uero ego credo, quod folijs rotundioribus pinxi; nec ob talia adhuc audita argumenta cedo sententiæ. Respondent etiam ad punctum omnia; nisi quod de pollicis similitudine meminit Dioscor. quod probe non intelligo. De Melissophyllo Cordo asserant qui uelint, Ballote absq; controuersia est, Prassium fœtidum, nemini non cognitum. quadrant enim omnia cum uero Marrubio, quam nos fœminam hodie uocamus, excepto nigrore, atq; uirosiore fœtore.

Lib. 3. cap. 116. & seq.

BALLOTE.

PRassium nigrum, uel Prassium fœtidum, ut officinæ quædam hodie uocant, cœmiterijs, & umbrosis frequens, Teut. Schuuartzer Andorn, stinckender Andorn.

STACHYS.

NOn poterat clarius a Dioscor. describi frutex Marrubio similis, sed longior: folia ferens numerosa, hirsuta, rara, prædura, cana, odoris iocundi, & complures uirgas ab radice eximentes Marrubio candidiores. Vidimus, inquit Barbarus, Romæ eandem, ubi & Nauiculam, & alij Coronatam herbam uocant.

Hedera

HEDERA terrestris.

Apposite Cordus ἐπύγειον explicat, Grundreben, quasi humi repentem uiticulã: corruptam tamen hodie haberi inquit, & Gundelreb nuncupari. Atq; ea est, quam sic hodie apud uulgum, terrestrem Hederam uocant. Verum si exacte cōferas cum Greco Chamecisso, id est, quæ Grecis est humilis Hedera, plane parum conuenit. Quanq; alij non Chamecissum, sed Elatine interpretentur: ut Comes de Aquila. Interpretor & ego in Exegesi mea Asclepiadem herbam, quæ & ipsa Hederæ simi lis ab Dioscoride scribitur, unde & Cissophyllon dicta. Tomo.I. fol.157. Lib.3.cap.105.

EVFRAGIA.

Videtur ueteribus ignota fuisse: quia nemini adhuc in certũ Dioscor. caput relata apparet. Quæ autem Barbarus de ea scribit, isthic uide. Cum igitur nulla eius certa apud Dioscor. descriptio habeatur, nulla recta amussis, ad quam existimari merito possit Eufragia, qui reprehendere nos Cordus potest, q; non ueram pingendo attigerimus? Aut quibus argumentis nos persuadebit, suam potius ueram esse? Si ex uulgi sententia: habuimus & nos peritos Herbararios, imo & uetulas exptissimas, qui nobis hanc nobis suppeditarunt. Dioscor.lib.4 cap.18.

CYNOGLOSSA.

Duas cōmuniter Cynoglossas faciunt, Maiorem, & Minorem. Hanc Minorē Dioscor. simile Plantagini describit latifoliæ, angustiora tamen, minoraq; & lanuginosa folia habentem, sine caule, & in sabulosis locis prouenientē. Maior quomodo possit Cynoglossa uocari, non uideo: cum illius nusq; Dioscor. sub hoc nomine m eminerit. Aio ibidem, a quibusdam montis Pessulani Medicis, pro quadam specie Buglossæ existimari: quod an ita sit, doctiores dijudicent. Idem lib.4 cap.130. Tomo.I. fol.177.28

VINCA. Peruinca.

Qvod Vincam Peruineam Chamedaphnem interpretatus sum in Tomo primo, secutus autoritatē Plinij, Aetij, Collinitij, & in parte Barbarum, quorundam item uulgarē opinionē (quorũ sententias secundo Tomo require) inficiatur Cordus. Nec uero obstat, q; Dioscoridis Chamedaphne huic nō respondet, idq; multis nominibus: est enim familiare id nomen & ei quę Laureola uulgo dicitur: deinde Peruincę huic nostrati: id quod multis etiam cōtendit Collinitius. Sed nihil obstant nomina, modo res ipsas teneamus. Tomo.I. fol.178.

PERFOLIATA.

Cvr rectam non adpinxerimus Perfoliatam, caussam plane legit isthic Cordus: quid ergo exprobrat nobis? En ueram supponemus, ne relinquatur calumniandi tandem occasio. Sed & in Germanico nostro Herbario eandem descripsimus. Tomo.I. fol.183.

SAXIFRAGIA.

Itidem de Saxifragijs inculcat. Multas certe nouimus Saxifragiorum species: q; uero non omnes adpinximus, non nostra inscitia, aut culpa factum. Descriptiones isthic lector studiosus expendat, cuinam subscribat sententiæ. Fol.185.

PIMPINELLA.

Meminit Bibenellæ cuiusdam Theophrastus lib.7. Plant.cap.10. Et Plantago, ait, quæ Agnina lingua a quibusdam uocata est. Huic quodammodo similis est Bibenella. Verum an uulgatam hic nostram uelit intelligi, non satis teneo. Palam est, quam nos hodie Bibenellam uocamus, nihil simile habere cum Plantagine. Græcũ codicem ad manum habere non licuit, ut huiusmodi ex fonte explicaremus. Vide Barbarum de hoc latius. Dioscor.lib.4 cap.18.

HEPATICA.

Familiare multis herbis Hepaticæ uocabulum. Hepaticam uulgo sic appellante Stellarem illam quam uocant Waldmeister: deinde Trifolium, quæ hepatis figuram refert. In historijs plane aberratur. Nam quæ a Barbaris, Serapione inquam, Plateario, Pandectarioq; Hepatica describitur, conuenit quidem cum Dioscoridis Li- Lib.4.cap.50.

B chene.

chene. Ceterum in Lichene nulla hepatis fit mentio, quòd illi ullo auxilio sit. Unde necessario sequitur, ignotã hodie Hepaticam, neq; Lichenem hanc esse Hepaticã. Celebratur a neotericis pro uera Hepatica, Eupatoriũ, quæ & nomine, & effectib. respõdere uidetur. Nos uulgi opinionẽ secuti, adpinximus quæ illis itẽ uulgata est.

OSIRIS.

PUtatur esse, quę hodie ab Officinis uocatur Linaria, sic in Exegesi mea Quanq; herbula sit, non frutex, quã ego cognoui Linariam, cuius perpetuo uno tenore perseuerant folia, non initio quidem nigra, deinde colore mutato rubescentia.

ESULA.

NOn consentio cum Symone Ianuensi, qui negat hanc inter species Tithimalorũ septem conscribi debere, existimatq; esse aut Cyparissum Tithimalum, aut certe Pityusam Dioscor. lib. 4. doctissimus uir Manardus, mauult Paralium appellari. Singulas ipse Lector historias examina, atq; ex delibratis quam libet amplectere.

ALCEA.

CElebratur ad caliginem oculorũ ab Empiricis Alcea, idq; sub nomine herbę Simeonis; ut in Exegesi illam explicauimus. Haud dubie, quin ob suspicionẽ quandã, quã ex historia Longobardica, lubens subticeo. Eam Dioscoridis Alceã esse, dubiũ non est.

Dioscor. lib. 3 cap. 161.

ALTHEA.

Plin. lib. 20. cap. 21

ALthea uocatur ab excellentia effectus, ut inquit Plinius, nõ ut barbari inquiũt, quia crescendo in altum, surrogatur. Siquidem ἀλθαίνειν, Gręcis mederi significat; inde ἄλθος, remedium. Vocatur eadem & Ebiscus, & Ibiscus: etiamsi Plinius Altheam ab Ibisco in medicinis sequestrauerit.

MALVA.

TRadidit Theophrastus, reperiri alicubi Maluam, quæ baculi crassitudinem æquet. Quod mirum uideri nulli debet. Vidi enim ego prope Argentoratũ cis flumen Ili, ubi cœnobium S. Arbogasti erat, Altheam uiri staturam & proceritatem æquantem, radice miræ magnitudinis.

Coriandrum, CORION.

COrion Officinæ Coriandrum uocant. Mirum, herbas plærasq; sic apud omnes uulgatas esse, quę licet ab autoribus etiã nõ sint deliniatę, tamen ab oĩbus cognosci.

OCIMON.

Dioscor. lib. 2 cap. 158.

COgnitum uulgo Ocimon, ut inquit Dioscor. Quod utinam tam uerum hodie esset, quàm ille fortasse existimauit. Vereor enim uehementer, nos in ea herba hallucinari. Quomodo enĩ ueram esse, certo scire possumus, cum nulla eius regula, uel perpendiculum ex ueteri aliquo Scriptore usq; habeatur? Bifariam diuiserunt barbari, in Garyophyllatam, & non Garyophyllatam, Maiusculam, & Minusculam: & utræq; satis notæ, in delitijs hortorum habitę mulierib. quarum nusq; sub his nominibus meminit Dioscor.

SCROPHULARIA.

Tomo. I. fol 217.

QUemadmodum Solidaginum multas species fatentur Herbarij, ita plane & Scrophulariarum, Maiorem, Minorem, & Mediam; quarum singularum εἰκόνας nos posuimus, citra tamen Dioscor. ullam adsertionem.

CAPILLUS VENERIS.

Fol. 219.

IN Exegesi interpretatus sum, uerã esse Adianthon, nõ tamẽ muralẽ Rutam, qua uulgo hodie utuntur myropolæ. Sic dicta a cauliculorũ similitudine, a quibus recisa folia, coliculi capillorũ similitudinem referunt. Arbitror etiam, notiorem esse herbam, quàm quæ multis hic debeat depingi. Confirmauit deinceps sententiam nostram Comes Nuenarius in Annotat. suis. Est autem Callitrichon uerum Adianthos.

TRICHOMANES.

ET illa quoq; Capillo Veneris similis, & in eisdem quibus Adianthos locis nascitur, Filici similis, sed exilius.

VRTI-

VRTICAE.

SVnt Vrticarum multa genera, quæ neminem credo ignorare; tamen de Galiopsi, uel Labeone contentio est, quam ego credo esse Plinij Lamiam, cõsentiente nobiscum etiam Barbaro in Corollario suo. Lib. 4. cap. 93.

PVLEGIVM.

COntendit multis argumentis Cordus, non esse existimatum nostrum Pulegiũ, id quod Dioscor. describit pro Pulegio. Cui & ipse quoque subscriberem, si Dioscor. extaret super ea aliqua historia. Lib. 3. cap. 34

SERPILLVM.

SI Cordo credimus, quod nos pro Serpillo usurpamus, syluestre est, cui Zygis nomẽ est. Cęterum hortulanum nostrate Pulegium est. Sane quantum ipse utrasque herbas assequor, utrique seruit de Serpillo Dioscoridis historia.

EVPATORIVM.

ET ab Leoniceno, & alijs doctissimis uiris demonstratum abunde est, tandemque & gladio, quod dicitur, obtentum atque expugnatum, Agrimoniam uerum esse Eupatorium, & rursum Eupatorium, ueram Agrimoniam. Sed quæ tandẽ esset Agrimonia, deinde quæ apud Dioscor. ea sit, quæ uulgo habita est Eupatorium, rursum in dubium cessit, nec illam baptisare quisque uoluit. Nos autem in Germanico Herbario nostro Argemonem pro erratico interpretati sumus: cui sententiæ postmodũ subscripsit Cordus. Adulterinum autem Eupatorium a doctis omnibus, pro satiuæ specie habetur. Tomo II fol. 81.

SOLANVM.

SOlanum uesicatorium, quidam accipiũt pro ea herba, quam officinæ uocant Alkakengi. Respondent folliculi orbiculati, fulua intus acina uesiculis similia, rotunda, leuia, græce στρύχνος ἁλικάκαβος. Eod. fol. 37.

SCOLOPENDRION, Lingua ceruina.

SColopendrion ueram exhibuit nobis doctiss. uir Hieronymus Tragus, ex prominenti rupe lectam, non illam inque, quæ hodie pro ea habetur, atque a me picta est, sed quam Dioscor. in Asplenio describit folijs multis, Scolopendræ animalis similibus a radice una prodeuntibus. folia illi Filiculę modo diuisa: neque caulem, neque florem, neque semen habens. Id nos edocuit, ut plane cesserimus omnibus coniecturis. Cui & Cordus adstipulatur, uulgata nomenclatura Steynfar explicans. At Ceruina lingua ea est, quam Dioscor. Phyllim, uel Phyllium appellat. Aliud igitur Scolopendrion, aliud & Ceruina lingua. Lib. 3. 152. Lib. eo. ca. 130

GARYOPHYLLATA, Sanamunda.

QVare sic dicta sit, rationem reddit λεξιγραμματεύς, ob odorem scilicet Garyophyllorum, quem radix ipsa spirat. Quantum ad folia attinet, Agrimoniæ nõ dissimilis: dicta a quibusdam Sanamunda, & Pes leporis. Verum alia est Pes leporis, Sed huic refragatur Barbarus. Vide ibidem. Lib. Diosc. 4. cap. 20.

ACORVS.

ACorus tametsi non illa sit luteis floribus, quẽ uulgus hodie sic existimat, tamen a nobis superiori lib. apposita est: quoniã utraque ad manũ nõ fuit. Itidem aũt syluestrem esse, prorsus non dubito: neque in aquis tantũ nascitur, quod obstare existimat Cordus: cum Xyris potius in agris inter sepes nascatur. Id genus herbarũ sunt multæ, quæ & in locis cultis, atque incultis nascuntur.

MATERSYLVA.

FAlso & hic pro Matersylua substituta est Caprifolium, at nulla culpa mea: quod mox a capite probat, quũ legitur: Caprifolium secundũ Nicolaum est Matersylua: Matersylua autem apud Dioscor. est περικλύμενον. Tomo. II. fol. 16.

PVLICARIA.

PVlicariarum picturas belle quidem probat Cordus, sed nem nẽ, inquit, se posse

Tomo II. fol. 20.

Persicariæ tres.

Lib. 2. cap. 188

persuadere, Dioscoridis Conyzas ut esse credat: quasi uero ptinaciter ego id urgeã: cum sic a fronte auspicer meam Rhapsodiam. Pulicariæ nomen nescio ꝗ͂ recte inditum sit duabus herbis, quæ hodie Pulicariæ uocantur: quando nihil ꝓrsus illis respõdent. Dioscor. Conyzę lib. 3. Simpl. Quare inter anonymas libuit collocare, donec certius aliquid addiscamus. Deprehendi etiã & ipse iamdudũ, nihil cũ historijs cõuenire. Cęterũ Persicarias uocari, nuper etiam non didici: sed quia apud Diosco. nulla Persicariæ fit mentio, malim uulgi opinionẽ utcũq; sectari. Cognoui ego tres Persicarias. Minusculam, sine lituris, acri atq; mordaci Piperis gustu. Maiorem sanguineis maculis cõspersam, priori per omnia similem. Et terniam illis non dissimilẽ Maiusculam, tam mordaci qualitate, ut apud Heluetios Sinapis uice mensis imponatur. Eius & in Germanico nostro Herbario meminimus. Addidit idem Cordus, uir doctiss. Persicariam alteram, nempe mordacẽ, quam Dioscor. Hydropiper uocat. Barbarus dubitat. Mihi potius ternũ illud genus tale apparet, cui tota Germania tribuit id nomen, Pfefferkraut. Sed liberum estimantibus iudicium esto.

HEDERAE.

NOn habent uulgares Hederæ ullam, quod scio, aliam uiam Plinij lapsum, atq; eius per Leonicenum reprehensionem, ipse potius ex eorum Commentarijs petito. De terrestri Hedera alias supra.

PEONIA.

Dioscor. li. 3. cap. 158.

PEoniæ duo genera. Mas Iuglandis folijs, & fœmina Smyrnij. Ex Iuglandis folij similitudine Cordus priorẽ Lapatiũ hactenus dictam credit, Teut. Mengelwurtz. Nec habet præterea, quibus id alijs argumentis queat cõuincere. Ego ignotam esse arbitror. Altera pro Peonia uulgo habetur, & in multis non abludit historia, licet effectus plane fallant. Quod ego indies experior, præsertim in comitialibus pueris, etiamsi omnia promittantur, quæ scribit Galenus.

CATAPVTIA minor.

Lib. 4. cap. 177.

SIne Controuersia Dioscoridis est Lathyris, Historiam ipse expendito. Falsum est, ipsius alteram speciem esse Pentadactylum, maiorem dictam Cataputiam: cum illa Ricinum potius referat atq; exprimat.

CHELIDONION.

Tomo I. fol. 232.

Lib. 2. ca. 200

MEminit subinde Capnij herbæ Aetius uetustissimus scriptor, quę inquit, etiam Chelidonia appellatur, magni precij in hepatis inflammatione. Num nostratem uelit Chelidoniam, non satis compertum habeo. Maiusculæ nostræ Dioscoridis historia respondet, minor in principio Verįs tantum comparet, Testiculus sacerdotis dictus. Nec aliter scripsimus in Exegesi nostra.

ANAGALLIS.

Tomo I. fol. 238.

APparent surrectiores, in terra nequaꝗ͂ iacentes Anagallides a nobis pictæ: unde suspicio oriri possit, non ueras fortasse nos dedisse. Sed nequaꝗ͂ sic humi prosternuntur, ut prorsus non suppullulent, imo in altum etiam luxuriantur, non paulo altius tamen, ꝗ͂ ipsa etiam examussim pictura subindicat. Existimamus autem herbã, quam nos uulgo Gauchheyl uocamus.

NIGELLA.

Tomo I. fol. 42

GAudeo cognouisse tandem Cordum, in meis manibus non fuisse, quę cuiq; herbæ facies deliniaretur. Non sumus tam stupidi, ut non noscamus, Nigellam esse, quam nostrates uocant Rœmischen Coriander.

MATRICARIA.

Tomo II. fol. 120. d

MVlta de ea herba Cordus. Ego aũt in Exegesi mea, ante eum scripsi, Solis oculum uocari a Romanis, ab alijs Cotulã fœtidam, tam similem Chamomillę, ut uix dignoscatur, nisi per odorẽ Non esse tamen Cotulã, probat Cordus. Nõ repugno. Sunt enim multę Partheniorum species: cuiusmodi est, quam modo diximus Chamæmilon, Cotula, Tanacetum, Artemisia, Linozotis, & Parietaria, quæ omnes

cono-

eo nomine ueniunt apud Dioscor. inter quæ tamen uerum atque genuinum Parthenium, quæ uulgo Matricaria uocatur, Alias Febrifuga.

CHAMAEMELON.

Recte hoc dixit Dioscor. genera eius esse tria: ex quibus unum tantum nobis cognitū hactenus, quod in frumentis & cultis sponte prouenit. Nam germanū ipsum & uerum in hortis seritur tantummodo, odore præcipuo. Exhibuit id nobis Hieronymus Tragus medicus, in Bipontij hortis suis: neque usquam ante hac nobis perspectum. Receperat & ille ex Gallijs, ut aiebat.

COTVLA fœtida.

Qum de differentijs Herbarum Cōmentarios suos nobis proferret idem Tragus medicus, multa de Partheniorum discrimine contulimus, atque scrupum nobis dum aperuisset, plus de illius, quam ullius qui hactenus scripserunt, Commentarijs applaudo, hominis in eo artificio diligentiam admiratus. Hodie a quibusdam Buphthalmos creditur, etiamsi Barbarus refragari uideatur. Extat ea de re Annotatio doctissimi cuiusdam hominis, quam historię Buphthalmi adscripsimus.

Hieronymi Tragi Opus, De Herbarū differentijs, & noticia uera, cum earundē speciebus, & synonymis. Tomo. I. fol. ... Eod. fol. 251.

TANACETVM.

Herbarum scriptores posteriores fere omnes, pro Apio rustico, & alioqui Ambrosia interpretatur, sed cum qua tantum conuenit, quantum cum agno lupus. Nisi illa Ambrosia sit Artemisiæ species altera, cuius Plinius meminit lib. 25, cap. 7. An uero Absinthium Ponticum censeri possit, diiudicandum doctis relinquo.

BVPHTHALMVS, Sanct Johañs blum.

Quibusdā & illa fœtens creditur, ut in Cotula diximus Comes Nuenarius noster, secus & alij, qui florē Sancti Iohannis interpretantur, nam eo tēpore potissimum floret: atque in festo Corporis Christi cereos eo coronant Ego a Chrysanthemone nihil uideo differre. Sed quid, si Buphthalmus dictus sit a figura, Chrysanthemon uero a colore lute o: Iudicent hic peritiores. Errasse autem Nuenar u n, lego in Manardi Epistola lib. 12, ultima. ubi nescio quid de Lysimachia auspicandū.

Fol. 259.

MERCVRIALIS.

Hanc falso suppositam fateor pro uera, at non culpa nostra, Neque enim Gutthenrich illa est.

PARIETARIA.

Dioscoridis Helxine: synonymaque sunt, Helxine, Parietaria, Perdicia, Vrceolaris.

GLADIOLVS.

Ordus existimauit, in Germania non temere nasci Gladiolū, & non esse aquaticam herbam, quæ hic Schmertel appellatur, sed in aruis inueniri

Tomo II. fol. 55. de hac.

LAVENDVLA.

In Epitome suo Cordus, coronarij Rorismarini alteram speciem facit: idque ex sententia Leoniceni credere liceret, si Dioscor. uel Scriptor quispiam alterā illam speciem distinxisset. Quod si etiam non est Celtica Nardus, quod Vergilius existimauit, mirum quænam possit esse. O Medicorum ignorantiam, in minimis & notissimis etiam uacillare.

MAIORANA.

Credo esse Amaracum, atque Samsuchum Sic enim utroque nomine appellat Dioscor. Nec obstat Parthenion inscribi hoc nomine: quando id passim fieri uidemus in Dioscoride. Nec uideo, quomodo hic labi potuerit doctissimus ut Albanus Torinus, qui Samsuchum & Amaracum pro eadem re interpretatus est: quando & Dioscor. idem facit. Sic enim inquit Symphyrum aliqui appellant Amaracum, et Romani Maioranam. Quis ergo obsecro hic lapsus, si ad rem ipsam species:

Albanus Torinus defendi tur.

APARINE.

In descriptionib. atque historijs Lapparum, id est, Xanthij, & Bardanarum, etiam Aparinen miscuimus, quantum ad historiam quidē attinet, nulla alia certe ratione,

Tomo. II. fol. 56.

ꝙ quia uulgus, quicquid est eius generis herbarum uestibus hærentium, Lappas omnes uno nomine uocat: εἰκόνα tamen Aparines non posuimus, sed Xanthij tantum alteram speciem. quia Aparine tum ad manum non fuit. Est autem Aparine ea, quam hodie minorem Rubeam uocant: quemadmodum in Exegesi interpretamur: Xanthion uero altera Lapparum species.

MELILOTVM.

Nihil certius, ꝙ non habere nos uerum Melilotum, quæ potius in Aphrica, uel Chalcedonia, atq; Cyzico nascitur: atq; ut id palam fieret, Rhapsodiæ uulgatę Meliloti speciem minusculam scilicet adpinximus. Sic enim futurum putamus, ut contraria contrarijs apposita, lux inquam tenebris, ueritas ipsa potius elucesceret. Tomo II. fol. 55.

LABRVM VENERIS.

Ea quę uulgo Virga pastoris, uel Carduus fullonum, dicitur Gręce δίψακος.

DIPSACVS.

Multa sunt Carduorum genera, ex quibus difficulter me expedio: nõ ꝗ res quidem ipsas non teneam, sed quia suis apud descriptores probis nominibus designare non ualeo.

NASTVRTIVM.

Id ego credo, quod uulgo quoq; Nasturtium uocatur.

MENTHAE.

Menthæ aliquot species recenset Iacobus a Manlijs: ex quibus sunt, quas uocant Aquaticã, Mentastrum, Mezereon, Calamintham, Mentham Saracenicam: cui uero ꝓpius conueniat id nominis, nos ex Dioscoride sic interpretamur, ut Mentha quidem sit Calamintha. Mentastrũ syluestris Mentha, hirsutiore folio, & prorsus maiore, ꝙ Sisimbrij, grauiori odore: Calamintha id quod nos Calamentum, herbam lacteam, uel Mezereon uocamus. In qua distinctione si erramus, moneri nos patiemur.

SANGVINARIA.

Sunt Sanguinarium herbarũ non paucæ, ex quibus potissimũ sunt eæ quæ Pera pastoris uulgo uocatur. Deinde alia, quæ Corrigiola, uel Virga pastoris. Sunt qui Tormentillam quoq; uelint sic appellatam, Blůtwurtz Teut. Nuenarius Gallicrus sic appellandam censet: non tamen, quia sistat sanguinẽ, sed ꝗ summitati narũ imposita sanguinem cieat. Quod si damus, plantarum potius epitheton est, ꝙ herbę alicuius nomenclatura. nisi κατὰ ἀντινομασίαν appellare sic libeat fœminã quampiã: cuiusmodi suam Polygonon a Romanis scribit Dioscor. uocari Sanguinariam. Lib. 4. cap. 6 Quanq; & ipse quoq; duo eius genera faciat.

POLYGONON.

Ea est, quã uulgo Sanguinariã uocãt. Teutonice Vueggrasz. Alias Cẽtũnodia.

ARTEMISIA.

Quod Absinthij modo fruticosam esse Dioscor. scribit, maioribus & pinguioribus folijs, facit, ut uulgatam nostram esse credam.

POLYPODIVM.

Vulgo notum, quod in muscosis petris, & uetustis arborum caudicibus, præsertim quercuum, palmi altitudine nascitur, Filici simile, subhirsutũ, non tenui subinde diuisura, radix pilosa, in qua continentur cirri, ceu polyporum, crassitudine digiti minimi, coloris intus herbacei, austera aliquantum, & gustu subdulcis. Dioscor. li. 4. Scolopendrium uerum quidam interpretantur. Ceruina autem lingua quæ sit, uide supra in Scolopendrio.

MEON.

Quotquot sunt ex peritioribus Medicis, omnes pro Vrsina radice interpretantur, uulgariter Beerwurtz. Nam quod de Asterico suspicantur quidam, fabula est. Pharmacopolæ quid accipiant pro Meu, ipsi uiderint.

Cyperus

CYPERVS.

Fortasse Iuncus ille, qui à Plinio inscribitur triangularis odoratus: a Celso odoratus, atq; quadratus.

CARDAMOMVM.

ET illa hodie in myropolijs non retinetur: cæterum pro re ipsa, nescio quæ aromatica alia semina supponunt. De quibus plura in Paradoxis nostris.

PHV.

PRo nostra Valeriana interpretatus sum in Exegesi: sed refragante Cordo, de herba Theriacaria, quæ quantum ad cauliculum & florem respondet, Valerianæ non dissimilis, folijs uero dissidet, odore a radice fragrantissimo. Ego ut semper doceri paratus sum, ita lubens a peritioribus persuaderi me patiar, ubi probabiles adduxerint sententias: temere nunquam contradixi cuipiam. Bernæ nobis sero exhibitum Phu uerum.

MALABATHRVM.

QVod Officinæ folium Indum appellant, nondum cognoui uerum ne sit Malabathrum. Sero ex Io. Manardo didici, ne ullum quidem extare usquam.

ASPALATHVS.

IGnoratur: etiamsi quidam Sandalorum generis existiment.

BALSAMVM.

NEmini aiunt notū, habitumq; a paucissimis: quicquid tandē cōtendant agyrtæ.

VERONICA.

COmmendatur multis nominibus ab Herbarū inquisitoribus, uerū de nomine eius apud idoneos scriptores non conuenit: Nisi q; ad dignitatē a uulgo illi inditam ex traditione recepimus. Laudes eius scripsit Hieronymus Herbarius.

CVSCVTA.

EA quæ alio nomine Podagra lini, q; circumuoluendo se quasi strangulare uidetur, Dioscoridis Androsace.

NVMMVLARIA.

HAec locis quibusdam dicta est herba, quę uulgo aliquibus Serpentaria, a foliorum similitudine, quæ nummulis assimilantur a rotunditate, a serpentib. item, qui in pratis atq; udis inter gramina repunt, Serpentaria.

VOLVBILIS.

VOlubiles cū multigenę reperiantur, uera tamē, atq; genuina hęc est, quę Cyssophyllos, uel Cyssampelos, Helxines quędā species a Dioscoride græce inscribitur. Vocatur eadē Cymbalaris, & Campanella: preterea Viticularis, atq; Conuolulus. Lib.2. cap.159

HIPPVRIS.

COquinarijs mancipijs non ignota, qua parapsides & patinas abstergunt. Alio nomine Equisetum, Cauda item cattæ.

DICTAMNVS.

AFfertur ex Creta tantū uera Dictamnus, ex qua etiā sola probatur a Dioscor. Nostras ex nostris nemoribus corraditur. Non habere nos igitur uerū Dictamnū, tam certum atq; manifestum, ut theriacarij nostri, nulla in re magis poterant caecutire. Sigillum Salomonis, radicem albam, ueram esse Dictamnum, quod contendūt quidam, ne illud quoq; uero est consentaneum. Multa de hoc Manardus, & alij. Lib.3. cap.37

LVPVS SALICTARIVS, Lupulus.

DE hoc uide Hermolai Corollariū: quoniam admodū ad explicationē rei facit. In lib.4. ca.139.

ERICA.

VIlgari idiomate Pfrymen interpretatur, nemini ignota.

MYRICA, Tamarix.

REspondet huic Germanicū usq; hodie nomen, Tamarischen. Nec diffiderem, si modo fructus, qui a Dioscor. illi attribuuntur, in nostra Tamarice cernerentur.

CEREFOLIVM.

SI breue Cherephyllon, ut torpenti grata palato, Intybi, ut inquit 12. lib. Columella, necesse est longe aliam rationem esse, quam quod nos hodie Cerefolium uocamus. Barbarus Dioscor. Myrrhim credidit: Smyrnion alij. Sunt qui Gingidiũ, atque Geranium.

MILLEFOLIVM.

Dioscor. lib. 4 cap. 116. TRes herbas inscriptas apud Dioscor. lego hoc nomine, Myriophyllon, Achillion, Stratiotes. Verum uulgatior Stratiotes est, & quam cõmuni nomine Millefolium uocamus.

MEZEREON.

CHamęlea apud Dioscoridem.

LAVREOLA.

ID quod Dioscor. uocat Daphnoidem. Quod Caput si diligenter expendas, uidebis hallucinari hactenus in ea herba ab Officinis.

RVBEA Tinctorum.

RVbea, Gręce quoque a rubore Erythrodanum uocatur, duorũ generum. Vna quæ in incultis sponte sepibus hęrescit, fortis, rigosisque folijs, in stellæ modum certis interuallis coliculum ambientibus. Et a quibusdam etiam Aparine intelligitur, quẽadmodum in Aparine diximus. Altera priori non dissimilis, sed satiua, uere Rubea dicitur, cauliculo maiori, firmiorique, radiculis rubẽtibus, rubeumque succũ ex se mittentibus. Prouenit siccis atque arentibus. Hagenoio agro fertilissima.

ASPARAGVS.

SVnt qui ab asperitate nomen Asparago inditum uelint, generaleque nomen esse, non his modo, sed & alijs qualitate, figuraque similibus: ut inquit. 2. Aliment. Galen. Octauius Augustus, ubi quid mature factum indicare uoluit, prouerbio habuit, Citius quam Asparagi coquantur. Duorum est generum, Hortensis, & Syluestris.

SABINA.

MEminit unius tantum generis Dioscor. uerum aliam quandam, atque minusculam ostendit nobis Hieronymus Tragus, diligens Herbarum uestigator, a priori nihil uarians, nisi quod dodrantalem magnitudinem non excedit.

CYPARISSVS.

SEro in Italia haberi cœpit. Quæ uulgo in Germania sub eo nomine in hortis alitur, & quibusdã uera Chamępitys creditur: quod doctiorũ examinationi relinquo.

Remissio-

REMISSIONES
Synonymorum aliquot.

Adianthos. Lege, Capillus Veneris.
Alcanna. Vide, Viola alba.
Aristolochia. Vide in Satyrijs.
Asplenion. Lege, Scolopendrion.
Callitrichon. Lege, Capillus Veneris.
Capnitis. Lege, Fumaria.
Cataputia maior. Vide, Ricinus.
Caucalis. Vide, Galli crus.
Cartophylago. Vide, Eufragia.
Ceratophylago. Ibidem.
Cheiri. Lege, Leucoia, & Caltha.
Christophoriana. Vide, Antipater.
Cici. Vide, Ricinus.
Cirsium. Lege, Buglossa syluestris.
Crisium. Ibidem.
Colchicum. Vide, Hermodactyli.
Conyza Persicaria. Lege, Pulicaria.
Consolida maior. Lege, Symphyton.
Crista gallinacea. Lege, Fumaria.
Cyparissia Tithymalus. Lege, Esula.
Cypros. Lege, Viola alba.
Ephemeron. Ibidem.
Filius ante patrem. Lege, Antipater.
Fumus terræ. Lege, Fumaria.
Galli crus. Lege, Pes galli.
Granion. Lege, Galli crus.
Herba Symeonis. Lege, Altea.
Hydropiper. Lege, Pulicaria.
Iris syluestris. Lege, Gladiolus.
Lagopus. Lege, Sanamunda, Garyophyllata.
Lappa. Lege, Aparine.
Lathyris. Lege, Cataputia minor.
Ligustrum. Lege, Viola alba.
Linaria. Lege, Osiris.
Melissa. Lege, Marrubium.
Melissophyllon. Ibidem.
Nenufar. Lege, Nymphea.
Oculus Christi. Lege, Antipater.
Oculus Consulis. Ibidem.
Oliuella, Ligustrum est.
Paralium. Lege, Esula.
Periclymenos. Lege, Matersylua.
Persicaria. Lege, Pulicaria.
Pes pulli. Lege, Galli crus.
Pityusa. Lege, Esula.
Quinquefolium. Lege, Pentaphyllon.
Xanthion. Lege, Aparine.
Xyris. Lege, Iris syluestris.

EBVLVS.



Attich.

DE EBVLO.

Teutonice/ Attich.

RHAPSODIA I.

EBVLVS noster, Græcorũ χαμαιάκτης est, herba fere per omnia Sambuco similis, etiamsi non sit tantæ ut Sambucus proceritatis. Folia illi sunt cõtigua, instar Amygdali, longiora tamen, & grauiter odorata. Caulem digitali crassitudine habet. In summo corimbum gestat, ex quo & fructus illi Sambuco nihilo dissimilis.

COMPLEXIO.

Natura calfacit, & siccat.

IVVAMENTA.

Ebulina folia, si aqua incoquantur, iusq; bibitum fuerit, siccę tussi præsentaneum pręstant remedium.

Anginis hoc iure nihil melius bibi potest.

Si huic decocto parum Piretri cõmixtum, & inde gargarisma factum fuerit, deciduę Vuulæ medicina erit.

Sunt, qui hac herba ad Podagras utuntur.

Decoctum Ebuli potatum, superfluam uentris humiditatem consumere dicitur.

Cocta illius folia, & ad modum Brassicæ comesta, stipatę alui solutionem operantur.

Summe conducit hydropicis, bibere Ebulinæ radicis decoctum.

Suffitus ex Ebulinæ radicis decocto, duriciem locorum muliebrium mire emollit.

Aliqui puluerem Esulæ cum succo Ebuli commiscent, addito parum Zaccari, idq; contra quotidianam febrem propinant.

Corimbus, folia, & caulis eiusdem sunt efficaciæ.

Quem usum aqua distillationis eius habeat, apud Hieronym. Braunsuuigum licet inuenire.

GARYOPHYLLATA.



Benedicten wurtzel.

DE GARYOPHYLLATA, Teutonice/ Benedicten wurtzel.

RHAPSODIA II.

DE NOMINE HVIVS HERBAE.

GARYOPHYLLATA ab aliquibus herba Benedicta, uel Sana munda uocatur, uti Symon ille Genuensis eam uocari uoluit. Sunt tamen alij, qui eam capitulo Dioscoridis de Lagopode, uel Leporino pede, aptare uoluerint: quibus Hermolaus Barbarus in suo Corollario contradicit, asserens Pedem leporis in satis, & cultis locis prouenire, cũ nostra Garyophyllata opaca & inculta desyderet loca, aut certe montana. Cæterum non sunt admodum dissimiles herbæ, Garyophyllata, & Pes leporis. Dioscor. lib. 4 cap. 100

FORMA.

Garyophyllata partim Agrimoniæ adsimilatur, & partim Leporino pedi. Radix illius, si Martio mense collecta fuerit, Garyophyllos olet: unde & illi nomen Garyophyllata accreuit.

COMPLEXIO.

Herba hæc in secundo ordine calidorum & aridorum censetur, iuxta Albertum: consumit, dissoluit, & roborat.

IVVAMENTA.

Aqua distillationis huius herbæ, malos & putrescentes humores ex corpore pellit, mane & uespere potata, qualibet uice ad sequiunciam.

Quin etiam stomacho calefaciendo est aptissima.

Si quis ab intra uulneratus sit, huius herbæ decoctum bibat. Externa uero uulnera ex ea colliii debent.

BRVNELLA.



Braunellen.

DE BRVNELLA.

Teutonice/ Braunellen.

RHAPSODIA III.

EX Solidaginum genere Brunella est, una ex primis herbis Verno tempore germinantium.

FORMA.

Folia illi sunt Ozimo similia, coloris herbacei, cum quodam acumine. Flos quadamtenus Stœchadi arabicæ similis, coloris uiolacei.

IVVAMENTA.

Brunella more reliquarum Solidaginũ omnibus fere cognita est, idq; ob eximiam eius uirtutem. Estque incommodis faucium, & linguæ accommodatissima, ardorem eorum extinguendo.

Contra gutturis & linguę ardorem, quem Germani Die Breün, uocant, nihil æque conducit, si ex illius decocto, aut aqua distillata, fauces colluantur. Contra Breune.

Aqua Brunellæ aceto & oleo rosato mixta, uehementes capitis dolores sedat, si ex ea tempora inungantur. Ei mixturæ potest & aqua rosacea addi.

C 2

PIMPINELLA.



DE PIMPINELLA.

Teutonice/ Bibenell.

RHAPSODIA IIII.

PIMPINELLA Saxifragarū uni assimilatur. Folio rotundo, ferrato. Tenuem admodum fert caulem, cubitalem, albicantibus floscul is, umbellosum. Radix illi acris, & odorata, quæ ab eximio doctore Manardò, inter Saxifragas numeratur.

COMPLEXIO.

Natura calefacit, & exiccat.

IVVAMENTA.

Platina autore, pectus egregie purgat.

Calculos comminuit, quomodolibet usa.

Vrinæ retentæ, liberum exitum præstat.

Strangurias potenter soluit.

Venena peste infectorum, a corde arcet.

Ex sui natura febribus omnibus est medicina, si succus, aut illius decoctum, ante accessionem quis biberit.

Radix eius more aliorum aromatum, Zacharo condiri potest, ut more calami aromatici, aut Zinziberis a uolentibus edi possit.

Sunt, qui ex radicis puluere & Zacharo confectionem in morsellis, aut tabulis faciant.

Ad omnia prædicta ualet usus aquæ distillationis ipsius.

● Herba Sanctæ TRINITATIS.



Dreyfaltigkeit blům.

ℭ De herba Sanctæ TRINITATIS.

Teutonice/Dreyfaltigkeit blům.

R H A P S. V.

HErba, quam nostri a triplici colore floris, nomine Trinitatis donauerunt, coronaria est, & ob id passim in hortis plantata.

IVVAMENTA ex aqua distillationis illius.

Aqua ex ea distillata, pueris in potum exhibita, inordinatos illorũ calores restinguit.

Prodest & Asthmaticis, qui angustias in præcordijs sentiunt, pulmonumq; apostematibus singulari præsidio est.

Cæterum quo nomine a Dioscoride censeatur, hactenus incompertum habeo: tametsi quibusdam Iaceam uocari placet.

BVRSA Pastoris Maior.



Groß Deschelkraut.

BVRSA Pastoris Minor.



Kleyn Deschelkraut.

¶ DE BVRSA PASTORIS.
Gesschelkraut.
RHAPSODIA VI.
DE NOMINE.

ERat quondam Medicus non adprime doctus, cui unum & alterum erat, Recipe (ut uocant) quod tamen contra omnes morbos aduenientibus, & opem illius implorātibus edebat, semper adijciens hoc, Deus bene uertat, rem omnem fortunæ, nō arti acceptam ferens. Idem & mihi iam usu uenit, in hac herba nominanda, ut debitum illi nomen assignem, implorandus est deus aliquis. Quis enim omnium errores soluat? Recentiores medici multa illi assignant nomina, ut Bursa pastoris, Pera pastoris, Crispula, Herba Cancri, Sanguinaria, & talia multa, quorum tamen nemo illam ad aliquod capitulum Dioscoridis recte aptare quibit. Quapropter & mihi Bursa manebit, dum tempus aliquid certius adferat. Descriptiones Diosco. de Polygonia & Sanguinali, huic herbę minime quadrant, quamuis & ipsa fluores sanguinis insigniter sistat. Porro si ad uerbum quis attendere uelit, multæ erunt Sanguinarię, quemadmodum & multæ Consolidæ, Serpentariæ, Saxifragæ, & Lilia. Nomina herbæ uaria.

DE FORMA ET GENERIB. EIVS.

Duo genera inueniuntur huius herbæ, Maius, & Minus. Maius, latas habet faginas, bursę quadamtenus similes, in quibus paruum, & nigrum semen continetur. Minus est illud, quod communiter Germani, Gesschelabschneiden, uocamus, pueris nota, qui ex eo ludicrum faciunt. Verum maior in omnibus anteferenda est.

IVVAMENTA.


Ambæ Bursæ pastorales, dicuntur sanguinis fluxum cohibere, fortius q̃ aliarum nulla. Id quod in menstruis fluoribus euidens fit, si aqua distillationis, aut decoctum eius exhibeatur.

Aqua Bursæ pastoris disynterias rubras compescit.

Pessus ex cotone factus, & succo Bursæ pastoris intinctus, naribusq; inditus, sanguinem inde fluentem sistit.

Herba manu gestata, cum naturali calore tepefacta fuerit, idem quoq; facere perhibetur.

CARDVVS FVLLONVM.



Karten dystel.

DIPSACVS MINOR.



Sãwdistel.

DE VIRGA PASTORIS.

Teutonice/Kartendystel/vnd Sawdystel.

RHAPSODIA VII.

DE NOMINE.

DIPSACUM uocat Dioscorides, quam Latini Virgam pastoris, Cardum fullonum, Labrum Veneris, uel Lutrum Veneris uocant: ea ratione nimirum, quod folia eius, quæ caulem circundant, semper aliquid pluuię, aut roridæ aquæ contineant. Fullonum opera hoc carduo ad pectendos pannos opus habent.

DE FORMA ET SPECIE EIVS.

Virga pastoris caulem fert ad altitudinem uirilis staturæ, diris aculeis armatũ, rotundum, cauum, & ab imo ad summum usque folijs uestitum, cum multis alis: ex quibus ramuli prodeunt, carduos ferentes longiusculos, rotundos, & spinosos, ex quibus etiã tener & purpureus flos ebullit. Folia agresti Lactucæ assimilatuur, longa, acuta, rugosa, & in dorso multis uncis obsita: quæ ita caulem circundant, ut multum aquæ in cauis illorum continere queant. Apertis capitulis, uermes prodire dicuntur, quos tamen mihi nunquam uidere licuit. Id quod & Marcellus Virgilius conqueritur, qui putat solam radicem huius herbæ ad medicinam esse aptam, quæ illi non admodum magna est, et multis capillamentis diuisa.

Radicis tantum usus.

Duo ipsius genera quidam faciunt. Masculum, de quo iam dictum est, & fœminam, quæ Sanguinaria, Cauda uulpis, uel Centumnodia uocetur: caule bicubitali, rotundo, & multis locis nodoso. Verum Dipsacon pro Virga pastoris recte accipimus.

LOCUS.

Nascitur humectis locis, iuxta riuos aquarum, & fontes: quapropter & aliqui putant, ob eam rem Dipsaton uocari a Græcis.

COMPLEXIO.

Radix ipsius herbæ siccat, & abstergit ex ordine secundo exiccantium. Herba similiter refrigerat, & exiccat.

IUUAMENTA.

Radix Virgæ pastoris cum modico uini contusa, & ragadijs, uel fistulis ani imposita, miro eas curat modo. Debet uero medicamentum hoc per annum seruari in pixide ænea. Putaueruntque ueteres, contra morsus formicarum, pendentes uerrucas, & alia cutis exantemata, id esse præsens remedium.

Vermiculi in capitulis eius inuenti, quartanas creduntur sanare, si inuoluti a collo suspendantur.

Aqua distillationis eius, oris ulcera extergit.

Si quis uerrucas, aut claues extirpare uelit, primum eas parumper acu resoluat, & eleuet: tum scobem cornu ceruini inspergat, & demum ex hac aqua eluat, cedent enim indubie.

Aqua, quæ in folijs eius inuenitur stagnare, ad clarificandam & extergendã faciem mire conducit: ob id & a uirginibus & speciosis mulieribus expetitur.

Nęuos etiam, qui ex ęgritudinibus relicti fuerint, a balneo sępe inuncta, tollit.

Folia illius in aceto & albumine oui cocta, hęmorrosagiam constringunt.

Tumorem stomachi imposita residere faciunt.

Mulierum menstrua constipant.

Succus herbæ huius auribus immissus, uermes in eis contentos, enecat.

Folia capiti imposita, phreneticis requiem pręstant.

Eandem uim obtinet puluis huius herbæ, in omni fluxu, quomodolibet sumpta.

CARDO PARIS.



Eberwurtz.

CARDO PARIS.

Teutonice/Eberwurtz.

RHAPS. VIII

HAnc herbam mihi non aliter cognitam esse fateor, quàm quod ab Herbarijs, & circulatoribus uulgo, & Germanice Eberwurtz uocari audio: qui sibi multa ex hac herba pollicētur, adeo, ut ex hac sola, et Gentiana uictum suū acquirant. Verū quo nomine a Dioscoride, uel Plinio uocetur, hactenus scire non potui, licet studiose perquisiuerim sæpe.

LOCVS.

Nascitur plerunque in Hercinia sylua, & alijs solitarijs locis.

IVVAMENTA ET MEDICINAE.

Ab Herbarijs hæc radix ita traducitur, ut si quis apud se gestauerit, & cum alijs quippiam operis laboriosi exercuerit, siue itinerando, aut alio quouis modo laborando, cōfestim illos uirtute huius radicis, uiribus deficere, & omnem uirtutem ad eum transire, qui radicem tulerit. Quapropter cauendum, ne quisque hac ad aliorum perniciem utatur.

Si peste infecto, aurei pondus ex puluere huius radicis tempestiue exhibeatur, cum aceto quidem, si morbus cum calore cœperit: uel ex uino, si cum frigore correptus fuerit: efficax ferunt esse antidotum. Quandoquidem radix acuta est, & subtilis, potensque uenenum expellere.

DE

CHAMAEPITYS.



Erdweyrauch.

DE CHAMAEPITY.

Teutonice / Erdweyrauch.

RHAPSODIA X.

ERVDITIORES nostri temporis Medici, rursus in hac herba controuersiam mouent. Nicolaus Leonicenus, uir apprime doctus, æstimat Chamæpityn esse Hypericon. Cui generosus Comes Hermannus a Neuenar reclamat, suam herbarum descriptionem ex Dioscor. probans. Nam Hypericon agresti Saluię similia habet folia: Chamępitys uero minori Semperuiuo adsimilatur. Adhuc tamen Leoniceni sententiam nostratium Medicorum opinioni anteponit, qui pro Chamæpity herbã in satis crescentem ostendunt, quæ prorsus omni odore caret, atq; ob id Dioscor. descriptioni minime conuenientẽ. Hieronymus Tragus, in herbarum cognitione plurimum eruditus, putat hanc esse, quam nostrates Germani Cypressen uocant: idq; ex odore eius imaginatur. Pharmacopolę Argentinenses paruam, & aridam nobis ostenderunt herbulã, longitudine digitali, multis, ijsdemq; paruis folijs ad modum Roris marini uestitam (quamuis ea crassitudine non essent) nullo sensibili odore præditam, quam ueram uoluerunt esse Chamępityn. Contra alij aliam ostendunt. Ita multos reperies, qui eam suis uelint mixtam medicaminibus, cũ ipsi eius herbæ & nomen, & figuram ignorent. Operępretium ergo facturi

Hierony. Tragus.

ctuſſunt, ſi uel tandem inter ſeſe concordauerint Medici: ne ſemper co=gantur quid pro quo (ut ipſi uocant) recipere. Chamępitys a recentiori=bus etiam Iua, & Thus terræ uocatur: a Dioſcor. uero Auga. Iua, Thus terræ, Auga.

GENERA, ET SPECIES EIVS.

Plinius tria genera Chamępitys facit. Primũ cubitali altitudine, quod flore & odore Pinum referat. Secundum aliquantulũ minus, ac recuruũ. Tertium eiuſdem odoris, atq; ob id eiuſdem nominis: caule digitali craſſitudine: folijs albicantibus, paruis, & teneribus: plerunq; in petris prouenie̅s, atq; cum reliquis eiuſdem uirtutis & efficaciæ. Hanc tertiam Hieron. Tragus pro uera Chamępity agnoſcit: idq;, meo iudicio non temere. Poteris tamen tria capita Dioſcor. tribus his herbis conferre. Plin. lib. 24. cap. 6.

DESCRIPTIO DIOSCORIDIS.

Prima Chamępitys humi ſerpit, recurua. Folijs minori Semperuiuo ſi=milibus, tenerioribus tamen, lanuginoſis, & pinguibus, iuxta caulem ali=quantulum craſſioribus, ut Pinus odorata. Flos illi delicatus, luteus, non=nunq; & albus. Radice Solſequio ſimili. Alia ad cubitalem altitudinem aſcendit, ramulis ad modum ancoræ retortis, uehemẽter delicatis & lanuginoſis: flore albo, ſemine nigro, quæ & ipſa Pini refert odorem. Tertia, quę & maſcula uocatur, parua eſt, folijs tenerrimis, & albicantibus, un=ctuoſis: caule hirſuto, & albo, luteo flore: quæ ſemen ſuum inter caulem & folia profert. Dioſcor. lib. 3. cap. 176. Cap. 177.

COMPLEXIO ueræ Chamæpityos.

Vera Chamępitys calida eſt in ſecundo, ſicca in tertio gradu, amarior q̃ acutior: quare & uehementius abſtergit, & mũdat, q̃ calefaciat. Videtur hæc herba ueteribus fuiſſe notior, q̃ nobis ſit: cum ea tam frequenter in ſuis uſi ſint medicaminibus.

IVVAMENTA, quę illi Dioſcorides aſſignat.

Septem diebus pota, ictericis præſidio eſſe teſtatur Dioſcor. Id de prima ſpecie Chamępityos intelligendum eſt.

Quadraginta diebus pota, coxendicos a malo ſuo leuat, cũ quis a coxa claudicat, nec ſe quoquam inuertere poteſt.

Eadem urinæ retentioni opitulatur.

Obſtructiones tum epatis, tum lienis aperit.

Contra aconitum præſens eſt antidotum.

In puluerẽ redacta, ſi mulier ex ea ſibi peſſum ſubdiderit, matrices inſi=gniter purgat.

Durata ubera emollit.

Vulnera conglutinat.

Phagedenica compeſcit.

Adſtrictam aluum ſoluit.

Secunda ſpecies eadem eſt uirtute prædita: quamuis tertia non tam ſit efficax.

Endiuia.



Andifien.

DE ENDIVIA.

Teutonice / Antifien.

RHAPSODIA X.

ENDIVIA ipso nomine indicat se esse ex Intyborum genere apud Dioscoridē. Unde qui uelint longā disputationem, legere possunt in Herbarij Tomo secundo. Quoniam multorum errorum causſæ sunt hæc, Endiuia, Dens leonis, Solsequium, Lactuca agreſtis, & Criſpa, quæ omnia hijs nominibus Græcis & Latinis nuncupantur, Intybus, Seris, Sonchos, Cicerbita, Endiuia, Taraxacon, Dens Leonis, Cichorium: adeo, ut pauci ſint, qui diſcrimē internoſcant. Placeret utiq; & mihi iudicium meum prodere: ſed nolo obtrectatoribus meis anſam præripere, ut eruditionem ſuam in hoc loco oſtendere queant, ſi forſan & ipſi imprudentes manus in ignem mittant. Multa de hoc apud uarios autores legi. Verum temere quicq; pro certo iudicare non auſim.

OPINIO Hieronymi Braunſchuuigij.

Hieronymum Braunſchuuigium paſſim in teſtem libens adduco, q̄ communium herbarum egregiam cognitionem habuerit. Et licet uarietas opinionum errorum ſit argumentum, quemadmodū noſtro tempore præſtantes medici, Ioannes Manardus Ferrarienſis, Nicolaus Leonicenus, & Leonardus Fuchſius Onoltzbachius, indicarūt, id quod ſuo tempore notum non fuit, ſat tamen egit: ut qui præter maternæ, nullius alterius linguæ cognitionem habuerit. Hieronymus ille ſic intellexit. Endiuia, quæ a Germanis Genſzdyſtel nuncupatur, duorum, aut trium eſt generum. Primum Scariola, quod Germanis Endyſtel appellatur. Secundum Lactuca agreſtis, Wilder Lattich. Tertiū Endiuia. i. Genſzdyſtel, quod per dorſum acutos habet uncos, ad modum ferre, quaſi ex hirſutis pilis annexos. Hanc Lumen maius Taraxacon uocat, & Cichorium, uel Solſequium: uulgo Wegweiſz. Quod a uero eſt alienum. Scariola a tergo modice eſt hirſuta, folio cceleſtis coloris, aliquantulum purpurei, & lacteſcit. Verum Endiuia lac nullum habet: quod Latini improprie Taxaracon uocant, quandoquidem id quod uncoſo dorſo eſt, uera eſt Endiuia, uulgo, Lewberdyſtel, uel, Genſzdyſtel uocata: ob id, q̄ epati uehementer proſit. Florem fert luteum, in caule late expaſſo, bicubitali. Error Luminis maioris.

LOCVS.

Endiuia cultis locis potiſſimum prouenit. Eſt tamen & una quæ ſeritur, & in areolis hortorum ſtudioſe plantatur, quæ & edendo eſt.

COMPLEXIO.

Frigidæ & ſiccæ naturæ eſt in primo gradu. Galenus ait, Endiuiam habere uirtutem Lactucæ ſimilem: id quod credibile eſt. Ego ſane crediderim eiuſdem eſſe efficaciæ, licet nominibus & forma ſint diſtinctę: niſi forſan diſcrimen aliquod faciat, q̄ una domeſtica, alia ſylueſtris ſit. Sylue-

D 2 ſtris

ſtris Endiuia amarior eſt, ꝙ domeſtica, quæ delectabilis eſt, criſpis folijs uireſcens.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Certiſſimũ eſt, nullã herbã epati plus conducere, magiſqꝫ merito Epatica uocari, ꝙ Agreſtis Saluia, quam noſtri pharmacopolæ Eupatorium uocant. Natura illi eſt, accenſum epar extinguere, & refrigeratum accendere, adeo, ut utriqꝫ affectui commodiſſime adaptetur.

Endiuia per omnem uſum in locum Lactucæ uenit cruda, & cocta: uenarum epatis eſt apertiua.

Stomacho etiam egregie opitulatur, potiſſimum excalfacto.

Aceto incocta, aluum lubricam ſiſtit.

Qui uitio ſtomachi linquuntur animo, ijs orificio ſtomachi impoſita Endiuia, eſt remedio.

Vtiliter calidæ podagræ, & calefactis oculis applicatur.

Igni ſacro magna utilitate imponitur.

Aceto & plumbo commixta, arcet calidos tumores, emplaſtrata.

Omnes ictus ueſparum & ſcorpionum ſanat, ſi ſimul herba & radix piſtata, & impoſita fuerint.

Aqua diſtillationis eius anguſtiam pectoris dilatat.


Eadem ictericiam pellit.

Hanc bibere debent acute febrientes, & peſte infecti.

Ab extra commodiſſimum epithima eſt, canabina ſtuppa epati impoſita hæc herba.

Punctiones cordis eadem expellit.

Carduus Albus.



❡DE CARDVO ALBO.

Teut. Feldtystel.

RHAPSODIA XI.

INcertum adhuc apud doctos manet, quo nomine hic Cardo apud Dioscoridem uocari debeat. Sed quid, si Chamęleonta diceremus? de quo Dioscor. in tertio lib. cap. octauo mentionem facit. Si quis certius aliquid nouit, proferat in medium. Recentiores Cardum Marię nominant: ita Sanctus quibusuis licet uetera herbarū nomina subuertere, adeo, ut ad uera iam nobis amplius redire non liceat. Recte reuera factum esset, si pristinis adhęsissemus nominibus. Quemadmodum enim mutata hominum nomina, quibus a baptismate donati sunt, eos parum cognoscibiles reddunt, sicuti apud exteras nationes permulti sese occultant: ita etiam cum herbis usuuenit. Quamdiu enim hæc nominum mutatio durauerit, & prima nomina, quibus a Dioscor. Plinio, & alijs ab incunabulis censita fuerint, non poterimus ad herbarum plenam cognitionem peruenire unquam.

Herbę a Sanctis appellatę.

EXPERIMENTA de Carduo albo.

Contra herisypilam insigniter prodest.

Item contra sanguinem concretum, & trumbosum.

Contra punctiones laterum, aqua illius cum semine proprio exhibetur. Ima etiam præcordia dilatat.

Epar & lienem commode aperit, & refrigerat.

A F F O D I L L V S.



Goldwurtz.

Rote Gilgen.



DE AFFODILLO.

Teutonice/ Goldtwurtz.

RHAPSODIA XII.

QVod Herbarij Germanorum Goldtwurtz nominant, necdũ apud doctos & eruditiores, certũ item nomen apud Dioscoridem inuenit: quamuis aliqui ad Hastulam regiam Affodillum aptare uelint. quod nos doctis committimus, qui hanc herbam & florem ad capitulum Dioscoridis de Asphodelo dirigunt. Esto tamen suus cuiq; sensus, nobis animus ob hoc digladiandi non est. Nihilominus florem hunc intactũ relinquere nolui, si forsan quis certius aliquid de ea habeat, quod cum tempore nobis impartiatur. Communia Herbaria Affodillum nominant, quod Germani Heydnisch blümen, uel, Heydnisch Gilgen/ uocant.

FORMA EIVS, quam nunc Affodillum dicunt.

Affodillus erescit ad cubitalem altitudinem, & eo amplius, caule rotundo, qui in circũitu ad formam stellæ habet folia, Plantagini quadamtenus similia, pallidiora tamẽ. Radix est illi aureo colore, bulbo liliaceo similis, multis capillamentis Allij modo sub bulbo enascentibus. Cum plantatur hæc radix, primo anno fert unum florem, secundo duos, tertio tres, & sic consequenter. Flores illi crassi sunt, & pingues, retrorsum recurui, pleni nigris maculis, ex medio calice proferentes cuspides cũ clauiculis puluerulentis, castaneorum colore, non ingrato cum florent odore. Quod nomen apud Dioscor. huic flori aptari debeat, incompertum adhuc habeo.

Est & aliud genus eius herbæ liliaceæ, eiusdem nominis, florem fert rubeum, inodorum, instar lilij. Caulem rotundum, in stipite rubeum. Folia longa, acuta, calami latitudine, implicata inuicem. Radicem bulbi liliacei. Argentorati in hortorum delicijs culta. Sed uiderint dico, doctiores, utra illarum sit Affodillus, an Asphodelus.

Potentilla.



Genßerich.

DE POTENTILLA.

Teutonice/ Genserich.

RHAPSODIA XIII.

ANseribus hæc herba uoluptati est, a quibus & nomen suum sortita est, Germanis, Genserich. De Latino nomine adhuc ambigitur, neq; certum est, quomodo apud Dioscoridem uocitetur. Aliquitamen ob figuram illius Tanacetum agreste, uel Agrimoniam syluestrem nuncupant. Apud me tamen horum nihil certi habetur.

COMPLEXIO.

Barbari eam calidam & humidam esse affirmant, ob id & humectis prouenire locis.

IVVAMENTA.

Aquam florum Potentillæ fluxionibus & puncturis oculorum prodesse dicunt.

Eadem contra rubores oculorum utuntur.

Valet contra inuersas palpebras, si sæpe ex eo colluantur.

Maculis & albuginibus oculorum utiliter instillatur.

Eadem recentia uulnera consolidat.

Facit & contra ulcera æstiomena.

Item contra dorsi & renum dolores.

Mulierum alba menstrua compescit.

Contra Colicam ex frigiditate ualet uinum decoctionis eiusdem.

Cum Absinthio decocta, lumbricos corporis exterminat.


Vino incocta, & umbilico imposita, uentrem ad secessum prouocat.

Confirmat membra & artus ex eo inuncta.

Aqua distillationis eius summe contra uertiginem operatur.

Eadem cerebrum & purgat, & confirmat.

Trifollium Maius.




Braun fleyschblům.

TRIFOLLIVM ALBVM.



Weiß Fleyschblům.

MELILOTVM MINVS.



Kleyner Steynklee.

Fragaria.



Guldener Klee/ oder Hoher Steynbrech.

Trifolium acetosum.



Gauch ampffer.

DE TRIFOLIO.

Teutonice/Klee.

RHAPSODIA XIIII.

DE NOMINE.

TRIFOLIVM a numero foliorum est nomen fortitum, non solum apud Latinos, sed etiã Græcos: uocatur enĩ & illis τρίφυλλον. Pratense holus est, & futuræ tempestatis prænunciũ. Apparente siquidem aliqua tempestate, arrigitur contra, ac si tempestati colluctari uelit. Expertum. Notum est etiam, quando album Trifolium habunde floruerit, sequenti anno futuras esse aquarũ inundationes. Sophocles uenenosum esse putat; nam in eo serpentem inuenies nunquam.

DE VARIIS GENERIB. TRIFOLII.

Multa fuit genera Trifolij, quorum septem in recepto sunt usu. Dioscor. siquidem hoc nomen τρίφυλλον multis accommodat herbis: quamuis in tertio libro ad unum referat. Primũ est cõmune Trifolium, passim in pratis florens per æstatem: quod & ipsum duorũ est generum. Secundum Trifolium Melilotos, siue Sertula campana a Dioscoride & Plinio nuncupatur: quod tamen certũ non est. Eius etiam duo inueniuntur genera. Maius, quod ad hominis staturæ altitudinem excrescit. Minus, in terra serpit. Tertium Fragaria est. Hoc recentiores inter Trifolia numerant,

rant, quæ tria gestet folia. Sed de hoc alibi. Quartum est Trifolium acutum, quod Scribonius Largus in Sicilia tantũ prouenire asserit: nec alibi, nisi in portu Lunæ: nostro Trifolio est simile, lanuginosis & pungentibus folijs, odore grato. Quintum est Acetosum uocatum Trifolium, Panis cuculi, uel Alleluia a Barbaris uocatum. Hoc a terra surgit altitudine palmæ manus, flore albicante. Hoc Trifoliũ pro Lapatho acetoso sumitur: quia eiusdem est uirtutis, & in salsamentis pro eo utuntur obsonatores. Sextum est, quod Aureum uocant Trifoliũ. De quo in herbis epaticis. Septimum est flore luteo, Latinis Leporaria uocatum. Samsuchum Dioscor. adhuc Trifolij nomine donat, & sic plura forsan reperiri possent Trifolia. Cui nunc potissimum Dioscoridis descriptio conueniat, eruditioribus relinquo discutientum.

VIRES COMMVNES TRIFOLII, quod rubro est flore, Teutonice/ Fleyschblůmen.

Decoctio, uel aqua distillationis eius potata, alba mulierum menstrua sanat.

Stomacho frigido egregium est calorificum.

Fœtentem anhelitum emendat.

Contra arthritim, & dorsi dolores incoque Trifolium, & herbam Paralysis uino, membraq; ex ea fomenta.

VIRES MELILOTI, secundi generis Trifolij, Teutonice/ Steynklee.

Confortat cerebrum, memoriam, & artus.

Mollificat, confertq; digestioni.

Dolorem sedat.

Sanat uulnera.

Omnino similis Chamomillæ, calidæ & siccæ cõplexionis in primo.

VIRES quioti generis Trifolij, quod acetosum uocatur, Teut. Gauchklee.

Ea utuntur Apothecarij in unguento Marciaton.

Epar refrigerat, & aperit. Spleoem quoq;.

Tollit sitim.

Confortat cor.

Pestis tempore pota, salubris est.

Inflammationi oris prodest, cum uino & Myrrha coctum.

Fistulis curandis mire accommoda.

Gingiuarum putrefactiones purificat.

Summa, in omnibus Acetosæ effectu par.

Papauer rubrum.



Klapper Rosen.

DE PAPAVERE RVBEO.

Teut. Klapperrosen.

RHAPSODIA XV.

GENTILES hunc florem Diti, uel Orco, Inferorum Deo sacrũ, eidemq; ex hoc flore in tẽplis & theatris tunicas fecerunt: unde & Orci tunica est appellatus. Aegyptij in suis hieroglyphijs hoc flore usi sunt, cũ hominis imbecillitatẽ signare uellent. A Dioscoride & Plinio Anemone uocatur, aut Fremium: ob id, φ folia nisi uento flante, non expandit. Fabulantur etiam Poetæ, hunc florem primum ex sanguine Adonidis exortum. Orci tunica.

Florem hunc apud Dioscor. Anemones nomine donaui, φ multos in hac uideam esse sententia. Verum eos falli uereor. Nam Papaueri erratico, uel rubeo magis mihi quadrare uidetur a Dioscor. lib quarto descriptio: ad hoc rationes a Verg. Marcello adductæ me compulerunt. Doctis tamen permitto utrunq; caput Dioscor. conferre; estoq; apud eos iudicium, utri accedere malint.

LOCVS.

Nascitur locis cultis, maxime in agris hordeo satis, mense Maio potissimũ: perduratq; ad Augustum usq;. Testatur Dioscor. incultis reperiri locis.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Si inter Papauera censere uelimus hunc florem, secundum genus erit, Rhœas uocatum. Si uero Anemone esse debet, rursus duo inueniuntur genera, Domesticum, & Syluestre. partim sanguineo, partim lacteo flore. Vtræq; descriptiones, & Anemones, & Papaueris erratici huic flori quadrant, radice tantum excepta. Folia illi sunt parua, multis incisuris fissa, lanuginosa & ipsa cum caule. Cumq; flos deciderit, capitulum remanet papaueraceum, oblongum, & rubro semine plenum. Radix est illi oblonga, alba, & amara.

TEMPVS COLLECTIONIS.

A Barbitonsoribus & Chirurgis ad eorum opera colligitur: quod commodissime mense Iunij fieri potest.

COMPLEXIO.

De qualitate uariat iudicium, cum in nomine concordes nõ simus. Manifestum tamen est, hunc florem, uti reliqua Papaueracea, eximie refrigerare uerum ob eius teneritudinem plerũq; aqua ex eo distillata, aut semẽ eius, in usum uenit medicinę.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Aqua eius omnium principalium membrorum calores restinguit, si intinctus pannus dolenti membro superponatur.

Sacro etiam medetur igni.

Mulierum menstrua compescit.

Sanguinem e naribus fluentem iecori imposita sistit.

Putredines oris, & aliorum membrorum, commodissime extergit.

Lingua ex ea lota, ardorem faucium sanat.

Maculas leprosorum, & neuos tollit.

Herisypelam medetur eximie.

Pudendorum tumores detumere facit.

Temporibus illita, phreneticos dormire facit.

Calidos oculorum dolores lintheo imposita, reddit quietos.


Defectum cordis egregie restaurat.

Lappa maior.



Groß Kletten.

Lappa minor.



Klein Kletten.

DE LAPPIS.

Teut. Kletten.

RHAPSODIA XVI.

AGRICOLIS hæc herba plus satis est cognita, quę illis non minimum negocium facessit. De quibus & Vergilius in Georgicis nonnulla.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Non minus quatuor genera Lapparum inuenimus, quæ nominibus Aparines & Xanthij apud Dioscor. censentur, Maior nimirum, & Minor Lappa. De discrimine uero nondum satis concordatum est. De Maiori Lappa, uel Bardana, in Vngula caballina dictum est, quam Arcion, siue Personatiam dici uolunt. De nominibus contendant docti: nobis sat erit, nosse discrimen inter maiorem Lappam, & minorem: quæ & pueris ad eorum ludicra non sunt ignotæ.

Tomo. I. fol. 43.

IVVAMENTA communium Lapparum.

Lappæ, minores potissimum, in frequenti usu sunt, qui lapide renum, & arenis grauantur, encausmata subinde ex eis facientes.

Aliqui earum semine quassato, contra calculum faciunt medicamentum nobile.

Bardana magnis tumoribus imposita, naturaliter eos discutere dicitur. Folia eius omnes inflammationes certissime sanant.

Verbascum.



Wullkraut.

¶ DE VERBASCO, quam uulgo Tapsum Barbatum uocant, Teut. Wullkraut.

RHAPSODIA XVII.

VERBASCVM apud Latinos multa sortitũ est nomina. Vocant enim Tapsum Barbatum, Candelariam, siue Candelam regis: ꝙ pice oblitum ardeat ad modum candelę. Lanaria, ob illius lanuginem, qua est obsitum. Dioscorides φλόμον uocat, Apuleius Enulam Verbasci nomine donat.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Tria genera Verbasci reperies. Primũ albo, alterum luteo, tertiũ ęque luteo, sed paruo flore. Dioscorides eodem modo discreuit, Masculum faciens, & Fœminã, album, & nigrum. Album facit Masculũ, Fœminam nigrum. Vtrunq; apud eundem & alijs discernuntur differentijs.

OPINIO Hieron. Braunschuuigij.

Hieronymus Braunschuuigius Verbasci duo facit genera, Agreste, & Domesticum, Masculinum, & Fœmininum. Masculum altissime prouenit, caule duorũ cubitorum, & dimidio, luteis floribus, a medio caule, usq; ad apicem. Fœmininum autem caulem non emittit. Agreste Verbascum a plærisq; Sarracenica uocatur consolida, sed falso. Galenus libro octauo censet Verbascum, quod luteos profert flores, Agreste esse Verbascum.

LOCVS.

Verbascum omne incultis prouenit locis, in arenis, et syluis plęrunq; enascens.

COMPLEXIO.

Tametsi multa Verbasci reperiantur genera, Plinius tamen easdem omnibus assignat uires, hoc est (ut Galenus indicat) ꝙ folia siccant, abstergunt, & digerunt. Radices uero eius, quod in Masculum & Fœmininum Dioscor. diuidit, stipant.

VIRES ET IVVAMENTA.

Commune Verbascum capillos tingit floris sui colore luteo.

Eadem si in arcam inter uestimenta ponatur, blattas & tyneas consumit: similis in hoc herbæ, quam Latini Blanariam uocant.

Aquæ incoctum, tumores sedat impositum.

Ex uino & melle impositum, ulcera sanat.

Eodem modo contra scorpionum ictus ualet.

Aqua distillata ex eo, omnes rumores ab intra & extra corpus sedat

Quib. pulmones in arteriã ascẽdũt, ab his Verbasci aqua potari debet.

Arteticorum dolores calidos mitigat.

Omnia inflammationum genera extinguit.

Contra cholericam scabiem, & herisypilam prodest.

Calores sine repercussione extinguit.

Habundantes oculorũ lachrymas, illius gutta instillata oculo, ꝑsiccat.

Colicam etiam ter in die qualibet uice ad sequiunciam potata, sanat.

Eryngium.



Manstrew.

DE ERYNGIO.

Teut. Mañs trew/Ellend/Brachdystel/Raddystel/Braußdystel.

RHAPSODIA XVIII.

ERyngium herba acuta, & spinosa, folijs ex uiridi, cyaneo colore. Nascitur desertis locis, apricis tamen, multis aculeis & cuspidibus munita, Radice longissima, duorum hominum altitudinem æquante. Hieron. Braunschuuigius Iringium, uel Centumcapita nominat. Sed Eryngium, & Centumcapita non esse eandem plantam, etiam natura post Plinium testatur.

DIOSCORIDES.

Lib. 3. cap. 23. In genere aculeatarum plantarum Eryngium est. Recipiuntur nascentia aliorũ holerum more in cibos sale condita Eryngij folia. Ea sunt lata, per ambitum aspera, gustu odorata. In pluribus quas habent pro eruptionibus crescentia, spinis aculeantur. Spinis etiam horrent in summis caulibus capitula, acutissimisq; per ambitũ stellæ modo radiatis. Estq; earum color modo uiridis, nunc pallidus, nunc candidus: idem aliquando cæruleus inuenitur. Radix illi longa, lata, foris colore nigro, intus candido, pollicis crassitudine, & odorata.

LOCVS.

Nascuntur hæ spinæ locis siccissimis, capitulis suis in gyrum stellatis, contusis, amœnum reddentes odorem.

Est & alia spina huic non absimilis, quæ cum maturuerit, similia profert capitula ex solidis spinis stellata. Ob eam rem ab aliquibus Spina alba uocitatur: fieri q; potest, ut a Dioscoride Leucanthos nominetur: cum ipse Eryngium, & Centumcapita pro eadẽ planta agnoscat, asserens ab Hispanis Eryngien Centũcapita uocari. Restat adhuc alia de hac spina sententia generosi Comitis Hermanni a Neuenar, de qua in secundo huius Herbarij Tomo, folio. 241. legere potes. (Spina Alba.)

IVVAMENTA EX DIOSCORIDE.

Eryngion uim calefaciendi habet.

Pota menses & urinam trahit.

Tormina & inflationes disijcit.

Bibitur cũ uino utiliter iecinorosis, & contra uenenatorum morsus, & epota uenena.

Bibitur plærunq; drachmæ pondere, cum syluestris pastinacę semine.

Fertur hæc eadem alligata, potataq;, panos discutere.

Quin etiam radix eius in dulci aqua comicialibus, & in scapulis rigentibus, eadem utilitate bibitur.

EX PLINII SENTENTIA.

Prodest deficientibus, & ijs, qui imbecillo sunt corde.

Eadem lieni & renibus accomodatur.

Spasmosas affectiones relaxat.

Hydropicos exiccat.

Strumas & parotidas discutit.

Spinas, & quæ carni sunt infixa, extrahit.

Quibus ab ossibus caro separatur, cum axungia salsa prodest.

A collo suspensa, oculorum albugines, & panos exterit.

DE RADICE EIVS.

Sunt, qui dicunt, radicem duum inueniri generum, Masculo, & Fœmineo, eandemq; habere figuram. Quod si uir radicẽ masculam apud se gestauerit, gratiosum eum apud mulieres futurum. Poetæ etiam fabulantur, Phaonta Lesbium talem secum habuisse, obq; id a Sappho esse dilectum.

Melissa.



Mütterkraut.

DE MELISSA.

Teutonice/ Mütterkraut.

RHAPSODIA XIX.

MELISSA auide ab apibus comeditur: cum aluearia ex ea linuntur, non aufugiunt examina. Vnde & a Græcis μελισσοφύλλον nũcupatur, a Latinis Citrago, aut Citraria: quod pomi Citrij odorem referat. Hęc herba ueteribus coronaria fuit, & in delicijs.

LOCVS.

Nascitur in hortis, locis bene cultis.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Dioscorides assimilat Marrubio nigro, Ballote uocato: sunt tamen eius folia minora, tenerioraque, nec tam hirsuta, pomum Citrium redolentia.

COMPLEXIO.

Galenus asserit, Melissam uiribus Marrubio dicto esse parem, nõnihil tamen a Marrubio superari, quod illius usus medicinæ sit accõmodatior. Porro in defectu Marrubij recte supponi Melissam. Posteriores medici calidam & siccam esse in secundo asseuerant, esseque illi uirtutem abstersiuam, consumptiuam, & uulnerum conglutinatiuam.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Folia Melissæ ex uino pota, aut imposita, uenenosos scorpionum & araneorum ictus, aut rabidi canis morsus sanat.
Encausmata ex ea facta, mulierum menstrua elicit.
Aqua ex ea distillata, contra dentium dolores est præsidio.
Dysenterias pota compescit.
Recta ceruice spirantibus, præcordia laxat.
Adnatas cum sale imposita strumas discutit, ulceraque mundat.
Articulorum dolores & podagras mitigat.
In uino excocta, defectum cordis roborat.
Suffocationes matricis aqua eius epota tranquillat.
Folia ieiune comesta, stomachum inflammant, digestionemque procurant.
Vertici capitis imposita, reumata exiccant.
In uinum turbidũ contecta, ipsum clarescere faciunt.
Si aliquãdiu uino madeant, & quod post hoc ab eis distillatur exhibitũ, cor confortat, & cerebrum.
Melancholicas affectiones perdit.
Capilli ex eius aqua madefacti, a canicie prohibentur.
Paralyticorum membra ex ea inuncta confirmat.
Linguæ guttatim instillata, deperditam loquelam restaurat.
Contra comitialem morbum utiliter exhibetur.
Odorem oris, & anhelitum bonum facit.
Internos residere facit tumores.
Ab extra tumentibus linteo imposita, par auxilium pręstat.
Colicam, & interaneorum dolorem quietat.
Contra scabiem & corporis ulcera ualet.
Phrenenticis prodest.
Matrices mundificat.
Caro quæ ex hac aqua aspersa fuerit, difficulter putrescit.
Contra oris ulcera, & puerorum aphthis auxilio est.
Valet & hydropicis quomodolibet usa.
Malos uapores ex fungis ascendentes, comprimit.
Aliquibus contra febres quartanas, est in remedijs.

Matri-

Matricaria.



Meterum.

DE MATRICARIA.

Teut. Metern.

RHAPSODIA XX.

CERTVM scio, plerosq; Medicorum mirari, qd in Herbarij nostri Tomo secundo, varias discordantium de herbis posuerim opiniones, meam tamen non interposuerim. Huius uero nullã accipiant rationẽ aliam, quã ob id factum esse, qd uiderem inter tot dissentientes ne unũ quidem in alterius tendere sententiam: quasi in hoc coniurati forent, ut præclarã artem cognitionis herbarũ, obfuscare contenderent: sitq; apud nonnullos manifestũ, rem minus habuisse perspectam, de qua tamen nõ ueriti sunt, integra describere uolumina. Vt uero cũ tumultuantibus non tumultuarer, & ipse meum apud me seruarem iudicium, liberumq; Lectori relinquerem, ex omnibus quod magis adlub esceret expiscari, semel pro semper (ut aiunt) hoc feci, ne semper cum insanientibus insanire cogerer, nimirum in Matricaria, Chamomilla, Cotula fœtida, Arthemisia, Paritaria, & Mercuriali: quas omnes Græci uno nomine Parthenij donant: ex quo erroris occasio uenit, quodnam uerum sit Parthenion. Mordicus hic digladiantur Leonicenus, & Collinutius pro suo Plinio: qui & ipse hoc nomen indiscretum reliquit. Quapropter & hanc concertationẽ doctis dirimendam relinquo: ob hoc tantũ indicasse contentus, si forsan et nos alicubi laberemur, ut alij nostro periculo cautiores facti, transirent illæsi. Matricariam Latine uoco & Febrifugam, quam Græci Parthenion appellant.

LOCVS ET COMPLEXIO EIVS.

Nascitur in hortis, & eorum parietibus, locis siccis, & umbrosis, estq; naturæ satis calidæ.

FORMA.

Dioscorides Coriandro similem facit teneritudine, flore Chamomelatio, intus luteo, per ambitũ albo. Odor illi est acutus & amarus, ad modum Absinthij, & Centaurij.

IVVAMENTA.

Matricaria exiccata, deinde ex aceto cum sale sumpta ad modum epithimi, laxat uentrem, choleramq;, & phlegma deponit.

Vehementer etiam prodest Asthmaticis, & Melancholicis.

Folijs sine flore sumptis, Asthmata tollit, & calculos pellit.

Balneum eius duriciem matricis emollit, caloresq; restinguit.

Herba cum floribus imposita, sacrum ignem extinguunt.

Matricaria Absinthio & Centaurio assimilatur.

Comesta, & uentri imposita, colicorum dolores sedat.

Decoctum eius etiam uino potum, febres fugat.

Eodem modo menstrua elicit, & lumbricos occidit.

Aſtrantia & Angelica.



Meiſterwurtz Angelica.

De Astrantia, & Angelica.

Teut. Meisterwurtz/Angelica.

RHAPSODIA XXI.

DE NOMINE.

DVAE sunt radices, quibus in quartum nunc annũ me torqueo, Angelica uidelicet, & Astrantia, certiorq́ fieri necdum ualeo, cui capitulorum Dioscor. aptare queam, cum utraq́ apud doctiores sit Hieron. Tragus. ignota. Tandem submonuit nos Hieron. Tragus, uir in herbarum scientia eruditissimus, uideri sibi, Panaces radicibus illos non esse dissimiles apud Dioscor. ex Panacis id probans descriptionibus, ex odore, succo, & gummi, quæ omnia Panacis radicibus quadrant. Hoc apud me hactenus probatur, nec dubito, alium quempiam posse quid melius indicare. Verum ne in hoc quidem contentiosi erimus, cõtenti nostrum aperuisse iudicium, quo eruditioribus ansa detur iudicandi. Alij rursus sunt, qui dicunt, neq́ Plinium, neq́ Dioscor. de his radicibus quicq́ esse locutos, perinde atq́ de floribus ijs, quos Germani a Gariophyllis Negelinblümen, uel a gramine Graßblümen, uocant, atq́ de ijs similibus, quæ nostro tempore in usum & cognitionẽ uenerunt. Adhuc audent & quidam in hac rerum caligine, radicibus illis eorũ genera assignare, Astrantiam uocantes marem, fœmellam Angelicã: quæ adeo in usum sunt recepta, ut quid apud ueteres fuerit, ne uestigium quidem ullum appareat. Aliqui nasutulorum pro Meu a Dioscor. primo libro descripto accipiunt. Verum hij δὶς διαπασῶν aberrant. Hieron. Braunschuuigius in hac arena nõ parum exercitatus, ita suum profert iudicium, cum dicit: De Angelica nemo ueterum Philosophorum scripsit quicquam: ideo nomen suum Angelica apud Latinos obtinuit: estq́ genus Astrantiæ duum generum, Domestica uidelicet, & Campestris, foliosum caulem, duos cubitos altum pro-
Locus eius. ferens. Nasciturq́ uera Angelica locis & arduis, & excultis. Hactenus Hieron. Idem alio loco Melissam describens, de his radicibus in hunc loquitur modũ. Est & alia herba Latinis Ostricium uocata, quamuis Herbaria Meu uocent Ostricium, uel Astrantiam: id quod falsum est. Quoniam Meu, agreste est Anethum, folijs & caule Fœniculo & Anetho nõ absimile: Astrantia uero Angelicæ assimilatur. Radices quidem uiribus pares sunt, unde & una pro alia uenit in usum. Videre hic licet amice lector, quantum & a communissima herbarum cognitione aberrauerimus, quantum opinionibus sit datum, & semper ab uno errore in alium sit deuolutum.

Pares ferme sunt, Angelica, & Astrantia, umbella, folijs. Nisi q́ radix huius gustu feruentior sit.

IVVAMENTA ANGELICAE.

Cum uero nihil certi habeamus, neq́ de nominibus, neq́ de substantia illarum radicum, sed tantum opiniones, & uana somnia, restat, ut ea-

rum

rum iuuamenta ab Experimentatoribus mutuemus, dum certiores reddamur.

Nihil præstantius contra pestem exhiberi potest, quam aqua Angelicæ, quæ quotidie cochleari mensura bibita, certo præseruat.

Cum quis peste corripitur, is huius aquæ recipiat unciam unam, theriacæ drachmam unam, aceti drachmas duas: & mixta hæc bibat antequam dormiat. Deinde uenam aperiat, & in lectū ut sudet, se reponat, sanabitur.

Radix hæc cum tota substantia, aqua, succo, & puluere, contra uenena est antidotū. Præcordia dilatat, digerit, et cor cum toto corpore cōfortat.

Hanc radicem puto omnia posse, quæ Dioscor. & Plinius Panaces radici adscribunt.

VIRTVTES ASTRANTIAE.

Astrantia cocta in aqua, stomachi digestionē procurat: epota, omnes flegmaticas reijciens superfluitates.

Eadem dolores renum mitigat.

Matrices cum Melissa & Artemisia purgat.

Stomachi tumores sedat.

Cum centaurio pota, colorem corporis emendat.

Cum polenta hordei contrita, papulisque nigris imposita, eas & emollit, & sanat.

Radix potui imposita, quotidianarios sanat.

Ore retenta, & masticata, flegmata a capite detrahit, cerebrūque emundat illis turbatum.

Præcordia dilatat.

Si quid difficile coctu comestum fuerit, hæc radix concoquit, digerit, & euincit manducata.

Agrimonia.



Odermeng.

DE AGRIMONIA.
Teut. Odermeng.

RHAPSODIA XXII.

DE NOMINE.

AGRIMONIA herba est, quam Dioscor. Eupatoriũ uocat. Melius tamen Hepatorium ab eius inuentore diceretur Hepatore, uel (ut quibusdam placet) q Epati sit conuenientissima. Error igitur manifestarius est, Saluiam agrestem pro Eupatorio interpretari, cum descriptioni Dioscor. non conueniat. Ad hoc testes habemus Nicolaum Leonicenũ. Ioannem Manardũ, Herm. Barbarũ, & Leonardum Fuchsium, uiros in hac arte insigniter doctos, qui multis argumẽtis fusissime demonstrarunt, uerum Eupatorium esse, quam nos Agrimoniã dicimus. Quod & nos in prioribus Tomis ostendimus, cum de eadem herba ageremus.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Succrescit Agrimonia ad bicubitalem altitudinẽ, caule maculoso, hirsuto, & lignoso. Folia illius sunt oblonga, lanuginosa, & serrata, domestico latere herbacei coloris, ab altero albi. Huic folia per interualla distincta nascuntur in caule, Canabinis similia. In medio caule lutea quędã oriuntur flosiola, ex quibus cum deciderint, lappulæ paruæ fiunt, uestimentis prætereuntium adhęrentes. Quod si quis herbam, quam nos Eupatorium uulgo uocamus, id est, Saluiam agrestem, ad hanc Dioscor. regulã examinauerit, in tota herba contrarium inueniet.

LOCVS.

Nascitur Agrimonia passim in uijs, & locis incultis omnibus.

TEMPVS COLLECTIONIS.

Aptissimum tempus collectionis eius est, principio ęstatis apparente.

COMPLEXIO.

Agrimonia, siue Eupatorium iuxta Galen. tenera herba est, incidit. & abstergit, sine apparenti calore: quare & epati mundando est utilis. Attrahit ex parte ratione austeritatis, & amaritudinis, estq; intestinis inimica.

VIRES ET IVVAMENTA EIVS.

Folia contusa cum axungia porcina recenti, impositaq; uulneribus, difficiles consolidationes conglutinant, cicatricemq; inducunt.

Semen cum folijs ex uino bibita, disynteriam rubram sanat, epar rectificat, & contra uenenosos morsus auxiliatur.

Aqua distillationis tussientibus prodest, & ictericis, sanguinis fluores sistit, lumbricosq; corporis necat: ob id pueris accõmodatissima, qui lumbricis facile implentur, si unciam ex ea biberint ieiuni.

Si in ulcere uermes excreuerint, lauetur ulcus ex ea: hoc enim ulcus extergit, & sanat.

Archanum quibusdam est, binis uncijs ebibitis quotidie, quartanas exsanari.

Vlcera oris & gingiuarũ, faucíũq;, si subinde gargarizata fuerit, sanat.

Dens Leonis.



Sonnenwirbel.

DE DENTE LEONIS.

Teut. Pfaffen rörlin, oder Sonnen würbel.

RHAPSODIA XXIII.

DE NOMINE.

GENEROSVS dominus Hermannus Comes a Neuenār, tam splendida stirpe natus, nō erubuit rei Medicę dare operam, sed summo studio (ut cætera omnia) herbarum cognitionem est sectatus: id quod Annotationes eius doctissimę testantur, quas priori secundo Tomo Herbarij adiecimus. Ibidem herbam, quam nos communi uocabulo, & recepto Dentē leonis uocamus, eam putat esse, quæ a Dioscor. Lagopus in quarto herbarum historiæ libro nominatur. Et quamuis Dioscor. ibidem necꝗ floris, necꝗ herbę huius Dentis. L. leonis meminerit, forsan, quod tam esset nota, ut eo opus esse non arbitraretur, adhuc tamen colligi potest, ex effectibus, quos Diosco. Pedi leporino ascribit, Dentis leonis esse cūbus pares esse. Suspicionem illam auxit Comiti, uel etiam confirmauit Apulei liber perquamuetustus, in quo Lagopos, & Dens leonis eadem figura depingebantur. Alij putant Gariophyllatam Lagopoda dici debere: sed de hoc alias. Tomo. II. fol. 115

LOCVS.

In omni loco prouenire potest, sponteꝗ semina sua spargit. Sūt, qui Cichoriū, & Dentem leonis pro eadē accipiant herba: & id, quod in Maio luteos profert flores, in Augusto eos in uenetum uertat colorē, ita diuersos ex eadem pullulare radice flores, uerum a me hactenus obseruatum non est.

VIRES ET IVVAMENTA.

Easdem fere sortita est uires, quas Endiuia, & Cichorium sunt adeptæ.

Aqua eius artriticis auxiliatur, oculosꝗ clarificat, & interaneo: um calores extinguit.

Paritaria.



S. Peters kraut/oder Tag vnd nacht.

DE PARITARIA.

Teut. S. Peters kraut/oder Tag vnd nacht.

RHAPSODIA XXIIII.

DE NOMINE.

NVLLI dubium esse debet, quin nostra Paritaria sit eadem herba, quam Dioscor. Helxinem uocat. Victorialis etiam dicta est, Lib. 4. cap. 42 & Vrceolaris: quod nostri corrupte Vitriolam dixerunt. Veterum quidam Parthenion uocari uoluerunt: quod Minerua per somnium Pericli Atheniensium duci eam ostendisset, cum illi seruus e sublimi cadens, semimortuus fuisset sublatus. Hermolaus Barbarus non ueram putat esse Helxinem, sed eius speciem: quod illi Dioscor. Mercurialis folia esse dicat, quæ tamen Basiliconis sunt magis similia. De hoc tamen alias.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Dioscor. folia dicit habere Mercurialis hirsuta, caulem canum, modice rubrum, in quo multa acuta nascuntur semina, prætereuntium uestimentis adhærentia. Crescit plerunque iuxta turres, muros & sepes Marcellus Verg. duo genera facit Primum, de quo iam dictum est. Alterum folio Hederaceo, uerum a Dioscor. non descriptum.

COMPLEXIO.

Virtus illi est refrigerandi, constipandi, & modice humectandi. Ioan. Vigo arbitratur Paritariam esse calidam & siccam in tertio. Quod de folijs intelligendum est. Nam semen frigidum est, & humidum.

VIRTVTES, quas illi Dioscor. adscribit.

Folia illius habent refrigerandi & abstergendi uim.

Ambustis itidē, condilomatis, incipientibus furunculis, tumoribusque & inflammationibus cunctis conducunt.

Inunguntur etiam succo eius utiliter addita cerussa sacri ignes, & quæ Græci ulcera herpetas uocant.

Idem hircino adipe subactus, aut ligustrino unguento, coacta cera, podagris utilis est.

Quin etiam contra diutinas tusses cyathi pondere utiliter sorbetur.

Contra inflammatas tonsillas etiam gargarizatur, forisque inungitur.

Et aurium doloribus cum rosatio instillatur.

Aqua illius epatis obstructiones epota resoluit.


Tumoribus utiliter imponitur innncto aquæ lintheo.

Renum & uesicæ calculos, & arenulas expurgat, menstrua prouocat, colicam & uentris tormina sedat.

Si Paritaria, Petroselinon, & Nasturtium, cū uino in patella frigantur, & uesicæ id imponatur, urinam uehementissime pellit, uentrique imposita, dolores intestinorum leuat.

Decocta cum Malua, Rosis, Absinthio, Matricaria, furfuribus, & fabis excorticatis, & in patella cum sapa frixa, sanat imposita contusos lacertos, & musculos.

Ruta.



Rauten.

DE RVTA.

Teut. Rauten.

RHAPSODIA XXV.

DE NOMINE.

QVEMADMODVM Dictamnus a ceruis, Chelidonia ab hyrundinibus, a serpentibus Foeniculum, & a ciconijs Origanum, eo modo Ruta a mustelis hominibus est demonstrata, qua sese dimicaturę cum serpentibus & muribus muniunt, quo tute a ueneno euadant. Quo fit, ut Ruta singulare antidotum contra uenena esse censeatur. Nomē illi Gręce Piganon est: ob id (ut Plutarchus in Sympośiacis refert) q̄ uirtus illi siccandi sit, & stipandi.

PROPRIETATES RVTAE.

Tangi, aut incidi a ferro Ruta non patitur.

Contraria est Cicutæ: quapropter euulsuri Rutam, manus eorum prius Cicuta obliniunt.

Infensa est pingui solo, stercorato, & humecto, nec non & hyemi. Terram amat siccam, lateritiam, & cinerulentam. Inde qui rutam commode uelint proficere, cinerem radici adfundant, sicq; a uermibus tuta erit.

Plinius æstimat rutam furto ablatam melius proficere: sicut econtra, subreptas apes, non posse proficere.

Magna illi cum fico est familiaritas, & præterea cum nulla planta: quapropter iuxta ficum plantata, & ficubus commodat, & rutæ. Causam assignat Plutarchus in Sympośiacis.

Aprica desyderat loca, quapropter umbrosis & parū euentatis locis plantari non debet.

Libentius prouenit plantata, q̄ seminata.

Totum incrementum illius, & uita, ex cinere est.

Si surculus perforatæ indatur fabæ, faciliter crescit.

Romanis olim in precio fuit, maxime Cornelio Cethego, qui populum ex ea bibere iussit.

GENERA ET SPECIES EIVS.

Rutæ duo inueniūtur genera, Domesticū unum, alterū Agreste. Domestica passim omnibus nota est. Agrestis ruta ab aliquibus Hypericon dicitur: quod tamen apud me certum non est. Pythagoras Domesticam adhuc in duo genera diuidit, in Masculinam, & Foemininam.

TEMPVS ET COMPLEXIO.

In Maio commodissime ex ea distillatur aqua, cum folia a stipite fuerint euulsa. Ruta Domestica, Galeno teste, calida est in tertio, Agrestis in quarto gradu, cum acuta & amara qualitate. Virtus illi incidere phlegmata, siccare, penetrare, ulcerare, urere, & uentositates dissoluere.

VIRES ET IVVAMENTA.

Pictores, statuarij, scribæ, & qui literis incumbunt, omnes hij rutam in

precio habere debent, q in cibo sumpta, excellenter uisum confortet.

Vrinas pellit, & renes ex arenulis dolentes, sanat.

Mulierum menstrua elicit.

Lubricam aluum pota & comesta constipat.

Contra uenena pręsens est antidotum, maxime semen.

Viginti folia rutę, cum duabus nucibus, & modico salis, electum contra pestem est antidotum.

Cum Aneto cocta, & epota, uentris dolores sedat.

Pręcordia purgat, ab asthmate, peripleumonia, & tusse liberat.

Ancharum & articulorum dolores leuat.

Febrium rigores in potu sumpta mitigat.

Interaneorum ulceribus medetur.

Si mulieri matrix irrequieta fuerit, hæc rutam cum melle contusam pudendis apponat.

Oliuarum oleo infrixa & epota, lumbricos pellit.

Intus & extra applicata, colicæ prodest.

Ex oleo temporibus illita, capitis dolorem leuat.

Contusa naribus indita, sanguinis fluxum sistit.

Cum lauri folijs imposita, testiculorum calores extinguit.

Cum melle, & alumine scabiem sanat.

Succus in putamine Granati coctũ, auribusq; immissum, dolores earũ e uestigio tollit.

Vnguentum ex ea, cerussa, aceto, & oleo ros. scabiem, sacros ignes, & phagedenica ulcera sanat.

Odorem Allij & Ceparum comesta occultat.

Semen illius septem diebus sumptum, urinæ incontinentiam tollit.

Nimius illius usus genitale semen exiccat.

Obstructionem epatis & lienis aperit.

Aqua illius uentriculi ructus compescit.

Oculorum panniculos, & maculas indita consumit.

Calendula.



Ringelblůmlin.

DE CALENDVLA.

Teut. Ringelblümlin.

RHAPSODIA XXVI.

Flores Calendulæ in totū crocei sunt coloris. Folia illi alba sunt, & lenia, lanuginosaq;, oblonga, & in apice rotunda. Sunt qui Caput Monachi appellent: quod Buphthalmo sic uocato sit prȩter colorem similis. Coronaria est, & in hortorum delicijs habita. Quod illi nomen apud Græcos sit, nescio, omnem tamen daturus sum operam, ut in posterum, si licuerit, sciam.

VIRES ET IVVAMENTA.

Hieronymus Braunschuuigius non ineptus Herbarius, asserit aquam Calendulæ omnibus oculorum morbis conducere, siue a calore sint, siue a frigore.


Tollit etiam dolores capitis omnes.

Decoctum illius bibitum, urinam sanguinolentam compescit.

Suffitus ex illius floribus siccis & accensis per uuluas receptus, secundas morantes extrahit.

Pes

Pes leonis.



¶ DE PEDE LEONIS.

Teut. Synaw/ oder Unser frawen mantel.

RHAPSODIA XXVII.

DE NOMINE.

NON perperam agunt (quod ad figuram attinet) qui Dentē leonis apud Dioscor. Leontopodion, & Leontopotalon, nominant, quamuis descriptio non respondeat. Olim tamen hanc herbā accuratius in lucem dabimus, cum præter Chirurgos multis alijs sit in usu, passimq; hortis plantetur. Loca amat umbrosa, & opaca.

FORMA ET COMPLEXIO.

Similis est Pedi leonino, uel ursino, octo, uel nouem serratas habens incisuras per folia, non tamen usq; ad pediculos fissa. Iusta illius altitudo duorum palmorū est, paruos & luteos proferens flores. Radix illi rubra est, quæ cum inarescit, crassior digito, & sesquipalmo longior inuenitur.

IVVAMENTA.

Virtus illi insignis, solidandis, conglutinandisq; uulneribus.

Aqua illius lauandis uulneribus utilis est, lintheoq; imposita, refrigerat ea, consolidatq;.

Si mulier a balneo exiens, linteum in hac aqua intinxerit, laxisq; mammis imposuerit, duras ipsas efficiet, & solidas.

Decoctum illius epotum, interanea uulnera, rupturasq; consolidat.

Si ex Pede leonis Sanicula, Mentaq; Sarracenica æquis partibus sumptis decoctio fit ex aqua pluuia, dein lumbrici terrestres contusi ex hac decoctione bibantur, interna uulnera, quæ sanguine fluunt, & sistit, & sanat imposita.

Succus per triduum ieiune potus, comiciales curat, uena tamen cephalica postea erit aperienda.

Idem pulueri gallitrichi mixtus, colicam & iliacam sanat.

Pes leonis, herbæ Fœniculi, Saluiæ, & Petroselini ana m. 1. Anisi Fœniculi, Hysopi, Enulę ana uncia. 1, coquantur in lib. aquæ duabus usq; ad tertias: qui in se concretum sanguinem habuerit, & hoc decoctum biberit, per sedem & lotium a sanguine uacuabitur.

Hypericum.



S. Johans kraut.

¶ DE HYPERICO.

Teut. S. Johans kraut/Harthaw/Waldhopff.

RHAPSODIA XXVIII.

DE NOMINE.

HYPERICON a Latinis pro Chamępity accipitur, astipulante Leoniceno, quin etiam Dioscor. ipse genus quoddam Hyperici Chamępityn nominat. Vocatur & Perforata: ꝙ folia illius apparẽt, ac si acu essent perforata. Ab aliis Fuga dęmonum appellatur, ꝙ omnes dæmonum insidias credatur arcere. Dioscor libis. cap. 171. & seq.

GENERA

GENERA ET SPECIES.

Quatuor genera Hyperici adnotauit Dioscor. Primum Hypericon Chamæpityn, uocat herbam surculosam, dodrantalem, caule rubicundo: folio Rutæ, matronali Violæ simili: flore, qui contusus, sanguineum edit liquorem, unde & Androsæmon nominatur. Siliquam habet non adeo hirsutam, in rotundo oblongam, magnitudine hordei, in qua semen nigrum clauditur, odore resinæ. Sunt, qui hanc agrestē putant esse Rutā: quoniam hæc herba Dioscor. in numero ad agrestem Rutam numeratur. Secundum Ascyron uocatum, prædicto Hyperico aliquatenus maiore fruticosius, puniceo colore, rubens semen habens Hyperico simile, odore resinæ, & quod digitis confricatum sanguineum reddit liquorem. Tertiū Androsæmon, ab Ascyro diuersum Hypericon, cui frutex est ramulis surculosus, puniceo colore, rubentibus uirgis. Folia habet triplo, quadruploue maiora Rutæ, quæ confricata, sanguinis colore liquorem remittūt. Quartum Coris nominatum. Folia habet ericę similia, minora tantum, pinguioraq;, & rubentia. Dodrantalis frutex est, sapore grato, & odoratusq;. Potest nunc qui uelit iudicare, quod horum ucrū sit Hypericon. Sed Dioscor. foratorum foliorum non meminit. Quartum uidetur esse, quod nostrates pro Chamępity sua uenūdant. Galenus refert, hanc herbam non solum semen, sed etiam fructum edere. Est & alia herba insectoribus pannorum usitata, quam aliqui ex genere Hyperici eum esse arbitrantur.

(Marginal notes: Chamæpitys. — Ascyron. — Androsæmon. — Coris.)

COMPLEXIO.

Omnia Hyperica calefaciunt & siccant, adeoq; sunt tenerę substantię, ut urinas, & mulierum menstrua, semen cum fructu sumptum eliciat.

VIRES nostri Hyperici.

Aqua distillata Hyperici & Peoniæ, utiliter contra comicialem morbum potatur.

Contra paralysim ministratur.

Omnes uentris fluxus constipat.

Tremorem membrorum emendat.

Vulnera omnia consolidat.

Tertianas & quartanas febres compescit.

Semen diebus triginta potum, coxendicum morbum emendat.

Folia cum semine, inflammationes sanant.

Lappatum acetosum.



Saurampffer.

Lappatum acutum.



Mengelwurtz.

DE ACETOSA, uel Lapatho acetoso, uel Rumice.
Teut. Saurampffer/vnd Mengelwurtz.
RHAPSODIA XXIX.

DE NOMINE.

Magna est concordia authorum, Acetosam inter Lapatha connumerari, esseq; speciem Rumicis, Oxalis appellata, uel a folij acumine, uel a uinoso eius sapore. Pandectarius non inepte de ea est locutus. Generosus Comes Hermannus a Neuenar, uidetur sentire, Spynachiam nostram esse, quam Dioscor. Lapathum acutum uocauerit: id quod nobis summe probatur: quãdoquidem Lapathon ueteribus in cibo fuisse probatur, ad quod nostrum Lapathum acutum ineptissimum est, Plantagini similius, q̃ Acetosæ, cui tamen cum Spynachia magna est configuratio.

LOCVS.

Omnia genera Lapathi & cultis & incultis proueniũt locis: quoniam suum ipsius semen ubiq; spargit.

GENERA ET SPECIES.

Dioscor. Lapathi quatuor genera facit. Inter ea Oxylopathon quasi acuta Rumex dicitur, palustribus locis nascens, duris & in acumine acutis folijs. Secundum Hortense Lapathũ est, priori omnino dissimile. Tertium Agreste Lapathon, breuis est herba, Plantagini similis, mollis, & in terra iacens. Quartum ea est herba, quam ab aciditate saporis Oxalida uocant, folijs tertio generi non absimilis.

Opinio Hieron. Braunschuuigij de Lapathis, uel Acetosis.

Hieron. tria genera Acetosæ facit. Primũ caule alto cubito & dimidio, flosculis paruis, & rubẽtibus, lenticulari fere forma, in pratis & locis apricis potissimũ proueniens. Estq; uera Acetosa. Secundũ agrestis Acetosa, Lapathum acutum Latine, Græce ὀξυλάπαθον, lata habens folia, maculis rubris inspersa, caule cubitali, semine cum maturuerit rubro, radice longa, amara, & lutea. Tertium genus dodrantali altitudine, pallide uirentibus folijs, forma cordis, aut Trifolij, flore albo, in syluis & uepretis potissimum enascens. Barbari uocant Panem Cuculi, uel Alleluia. Germani Gauchampffer. De hoc in Trifolijs dictum est.

COMPLEXIO.

Galenus ait, Lapathon digestiuam habere uirtutẽ. Sed Oxylapathon uocatum, præter id quod digerit, reprimere etiam ualet. Eius semen constipat. Recentiores Acetosam frigidam & siccam ponunt in secundo.

VIRES ET IVVAMENTA.

Aluum mouent omnia Lapatha cocta, comestaq;. Lege Diosco. lib. 2. cap. 116. Plinii lib. 20. cap. 21.

Folia imposita, Meliceridas sanant.

Semen uino incoctum, contra uentris tormina ualet, aliosq; alui fluores sistit.

Stomachum idem roborat.

Contra scorpionum ictus utiliter bibitur.

Folia excocta, uel cruda, lepras, & scabiei omnia genera imposita sanant, ex aceto & nitro præfrictis locis in sole.

Balneum ex Lapatho, pruritus corporis emendat.

Vino incocta, auribusque immissa, aurium & dentium dolores auertit.

Parotidas, & strumas dissoluit.

Ex aceto lienis dolores sedat.

Sunt, qui a collo suspensam gestent radicem contra strumas.

Ex uino pota, ictericos sanare perhibetur.

Contusa, mulierumque locis indita, fluentia sistit menstrua.

Eadem conterendo lapidi est accommodata.

EXPERIMENTA Hieron. Braunschuuigij de Acetosa.

Aqua eius sitim extinguit.

Epar refrigerat.

Febres tollit.

Arcuatum morbum expellit.

Appetentiam uentriculi proritat.

Sacros ignes extinguit.

Omnia calorifica uenena mortificat.

Ex linteo imposita, serpiginem sanat.

Oculorum calores refrigerat.

Aurium ulcera emundat.

Parotidas discutit.

Pestem necat.

ALIA quædam Experimenta.

Acetosa sanat inflammationes omnes.

Menstrua constringit.

Semperuiuo, & Portulacæ assimilatur.

Choleram comesta compescit.

Hemorrhoidarum exuberantem fluxum compescit.

Tenebras oculorum auertit.

Lapathum acutum scabiem & serpiginem tollit.

EX APVLEIO.

Ad Paniculam, quæ in inguine nascitur, Lapathũ herbam contundes cum axungia uetere, sine sale, sic ut axungia duplo plus sit, quam herbæ, & his bene commixtis, facies turundulam, & uolues in folio cauliculi, & immittes eam subinctus calidam, & cum coaluerit, tunc impone Paniculæ, & panno ligabis. Hoc quidem eximium est.

PANDECTARIVS de Acetosa.

Lapathum est duplex, scilicet Acutum, & Rotundum. Rotundum intelligitur, quod rotunda habet folia, & Acutum, quod acuta. Cum simpliciter ponitur, pro Acuto intelligitur. Apud nos proprie dicitur Acetosa quædam species Lapathi, quæ maxime in nemoribus inuenitur. Differt ab alijs

ab alijs speciebus Lapathi solum, quod foliorum inferiora, quibus uirgis adhærent, duas barbulas utrinque habent, sicut latus, & quod acetosi saporis est ualde.

CONDITVRA Acetosæ ex Platinæ obsonijs.

Acetosa ab acore nomen trahens, in quatuor genera diuiditur. Duobus in cibis non uescimur, Lapathio scilicet, & Rumice, Alia duo in condituram ueniunt. Quorum alterum, quod Oxylapathum uocari potest, arenosa, & lapidosa amat loca, folia habet acutiora, & similitudinem unguis ex pollice imitantia, crescendo in sole, ac caule, in folio quasdam fibras ducit. Hæc herba mea uernacula, Saluia, quod salis imitetur saporem, uocatur. Alterum, quod Hypolapathum dicitur, in fœcundioribus nascitur locis, similitudinem hoc habet cum Trifolio. Hæc uulgo Acetosella. Habent hæc duo genera Acetosæ frigiditatem, & austeritatem in se, humores generant nequaquam improbandos, fastidium tollunt, appetentiam inducunt, sitim extinguunt, uim cordis corroborant, aluum fluentem sistunt, choleram reprimunt. Pota etiam decoctio, scabiem, & pruritũ extingunt. Sunt, qui Acetosam illotam etiam statim prima mensa cum pane, sine ullo condimento, comedunt: quod ego persæpe facio fœminę nostrę consilio. Addunt quidam acetum, nõnulli oleum. Quouis modo comederis, salubris est, æstate præsertim, & pestilenti cœlo. Hac herba medici in multis pharmacis, præcipue uero in potionibus utuntur.

Saluia herba.

Acetosella, Alleluiah/Gucksslauch/Gauchampffer.

Pyrola.



Wintergrün.

¶DE PYROLA.

Teut. Wintergrün.

RHAPSODIA XXX.

DE NOMINE.

PYROLA a quibusdam Beta syluestris nominatur: ob id, ꝙ in syluis & locis muscosis prouenit, hortensi Betæ non absimilis. Quo uero nomine a Dioscor. censeatur, dicere iam non possum. De hac herba quondam sciscitatus sum a Hieron. Trago, in herbarum cognitione exercitatissimo, qui prædicto modo per scripta fere respondit.

OPINIO

OPINIO Hieron. Braunschuuigij.

Hieron. a Braunschuuig de ea sic fere differit. Pyrola umbrosis oritur locis, duumq; est generum. Mascula, iuxta decurrentes aquas & torrentes oritur, folijs Pyro non absimilibus. Fœmella uero muscosis prouenit locis: ab aliquibus maior Pyrola nuncupata, ad cubitalem altitudinem ascendens.

COMPLEXIO.

Recentiores medici hanc herbam in tertiũ gradum calidorum & siccorum, & ultra locant. Ego uero Peruincæ naturæ similem esse existimo.

VIRES ET IVVAMENTA.

Decoctum eius, aut aqua distillata, interna & externa uulnera sanat, pota, & uulneribus ex ea lotis.

Similiter & fistulas, cum alijs malis ulceribus sanat.

Ex tota plantæ substantia, cum Sanicula, & Pede leonis ex oleo utile faciunt cataplasma.

Hoc unguentum cum Flore æris, & Aristolochia longa, uiridis euadit coloris, carnemq; malam exedit.

Quod si album habere uelis, Cerussam, & Cancri oculos puluerizatos adde, atq; tum lenit, & sanat.

Si rubrum esse uelis, Bolum adde Armenum, cum Sanguine draconis, tum refrigerat, & sanat.



Volubilis. Wynd.

DE VOLVBILI.

Teut Wynden.

RHAPSODIA XXXI.

DE NOMINE.


VOLVBILIS dicitur, quod se sepibus, & alijs plantis inuoluat. Latina illi multa sunt nomina: ut Volubilis, Cimbalaris, & Campanella: Græce Cyssampelos, Cyssophyllos.

GENERA ET SPECIES.

Multa Volubilium sunt genera. Primum floribus albis campanę similibus, quod sepibus se inuoluit. Est & alia humi repens, herbisque se implicans. Tertium in Heluetiorum alpibus uidi ad fagorum radicem, folijs albo Helleboro similibus nascens. Quartum genus Volucrium, uel Climenos a Dioscor. uocatũ, id quod alias Caprifolium dicitur. Alias quæ se etiam inuoluunt herbas, nunc missas facio. Vera est, quam nos Volubilem mediam appellamus, Vitealis, Cyssampelos, & Helxine. Duo autem sunt Helxines genera. De priore in primo Tomo a nobis dictum est. Doctis cap. de Helxine apud Dioscor. discutiendum relinquo.

VIRES EIVS.

Volubilis expulsiuam habet uirtutẽ, urinas & uentositates expellens.
Epatis & lienis obstructiones aperit.
Regioque morbo medetur.



Sigillũ Salomonis
Weisszwurtz.

DE SIGILLO SALOMONIS.
Teut. Weyßwurtz.

RHAPSODIA XXXII.

HIERON. Braunschuuigius herbam hanc Sigillum Salomonis appellat, qua ratione, & unde, incertum habeo. De hoc Sigillo apud receptos & fide dignos autores nihil lego, nisi quod Hermolaus Barbarus in radice Rhodia eius mentionem fecit lib. iiij. Dioscor. asserens Grecis Sphragida nominari, apud alios Trias, uel Taura. An uero de hac sit locutus radice, discutiendum doctis relinquo.

EXPERIMENTA HVIVS RADICIS.

Aqua ex ea distillata, concretum sanguinem inter pellem & carnem discutit, si in ea pannus intinctus superponatur.


Faciei maculas si ex ea lauetur, tollit, neque quosque totius corporis delere sic non potest alia.

Interaneas uomicas resoluit, aut aperit.

Contra renum dolorem & arenulas est utilis.

Solsequiũ

Solsequium.



Wegwart.

DE SOLSEQVIO.
Teut. Wegweyß/Weglug/Wegwart.

RHAPSODIA XXXIII.

SOLSEQVIVM ex Intyborum genere est, Latinis Cichoriũ, Sponsa Solis, aut Solsequiũ nominata, ob id, q̃ flos eius oriente sole aperitur, occidente clauditur. Flos eius iniectus formicarum cumulo, in rubrum uertitur colorem, idq; magno naturæ miraculo.

GENERA CICHORII.

Duo inueniuntur Cichorij genera. Vnum Domesticũ, quod in hortis seritur, folijs crispis, & flore ceruleo, in omnibus Agresti Cichorio simile. Hoc ex genere Lactucarum est. Aliud in campis nascitur, locis aridis, & incultis, iuxtaq; uias. Quod & ipsum trium est generum. Vnum ceruleis floribus, quod communissimum est. Aliud albis floribus, qud rarum inuentu est. Tertium luteis floribus, quod rarissimum.

COMPLEXIO.

Frigidæ complexionis est, & siccæ, plus q̃ Endiuia, cum aliquali humectatione. Domestica plus refrigerat, q̃ agrestis.

VIRES ET IVVAMENTA.

Calores uentriculi, & sacros ignes extinguit.
Inflammatum cor refocillat.
Vsus eius est in peste, & febribus ardentibus.
Aqua eius antraci pestifero ex intincto panno imposita restinguit.
Sanguinis fluores reprimit.
Contra Vuulam, & anginas gargarizata prodest.
Marasinum membrorum restituit.
Epar & lienem aperit.
A corde uenenum expellit.
Aqua florum eius, oculorum calores extinguit, & purgat: quinetiam panniculos eorum erodit.
Cor etiam uehementer roborat.

Vuularia

Vuularia.



Zäpflin kraut/männlin.

VVVLARIA.



Zäpfflin kraut/ Weiblin.

De VVVLARIA, id est, Zäpfflinkraut. quæ Laurus Alexandrina dicitur.

RHAPSODIA XXXIIII.

De NOMINE.

THEOPHRASTVS hanc herbam Epiphyllocarpon nominat, quod intra duo folia fructum ferat rubicundum, ciceris magnitudine. Nam hoc naturæ miraculo habet, ut ex maiori & uero folio, aliud minus e medio prodeat, linguæ passerinæ non absimile.

GENERA.

Duo eius genera sunt. Vnum quod duplici folio, ut diximus, constat, Masculum nominamus: quoniam inter folia semen habet. Aliud quod simplici folio est, Fœminam arbitrantur.

LOCVS.


Apud Germanos, ut plereq; aliæ herbæ non prouenit: forsan ob cœli qualitatem illi contrariam: Ideo a circulatoribus ex inferiore Pañonia ad nos defertur. Diosc. probatissimam ex Ida deferri testatur.

COMPLEXIO.

Siccæ naturæ & calidæ esse, manifestissime constat.

VIRES ET IVVAMENTA.

Circulatores illi qui Germaniæ inferunt, alium usum non sciunt, nisi quod faucũ ulceribus, & humectæ uuulæ sit remedio: quapropter a Dioscor. forsan & Hyppoglossidion nominatur. Vergilius Marcellus asserit in Italia adpendi pueris, pro nimia eorum humiditate exiccanda. Dioscor. Mulierum menstrua, & urinas promouere dicit.


Anisum
Enla.

De ENVLA CAMPANA
Teutonice/ Alant.

RHAPSODIA XXXV.

ENQVAM nostri Enulam uolunt Campanam, haud dubio est, quam Dioscorides Helenium uocari ait. Sunt tamen qui Symphyton, qui Persicã, qui Medicam radicem, qui Oreſtion, qui Nectariam, qui Oleoniam, qui Rubum Idęum, qui Verbascum Idæum dicant, Romani uero Terminaliũ, siue Enulam Campanam: tametsi plæraq; signa Dioscoridis, huic nostræ Enulæ non respondeant, Marcellus tamen Virgilius testatur, sibi uetustos aliquot codices uisos, in quibus ad amussim omnia quadrarent. Græcorum poëtæ fabulãtur, a Mercurio fuisse hanc herbam Vlyssi monstratã, Circen ueneficam accessuro, ut ea se amuleti uice contra illius ueneficia tueretur. Vnde fit manifestum, herbam hanc contra uenena esse antidotum. Quapropter & a nostratibus antidotis contra uenena miscetur.

Si Enula locis irriguis prouenerit, caulem profert iustam hominis staturam altitudine ęquantem, teretem & lanugine obsitum: cui superne luteus flos imminet, ex quo etiam semen, quãuis inutile prouenit. Folia eius nonnunquam Bardanæ folijs, latitudine similia sunt, ita ut duorum palmorum ipse uiderim lata, quæ & ipsa lanuginosa sunt, non tamen aspera. Radix illi alba, sæpe etiam quadamtenus rubra, odorata, crassa, certis quibusdam stipata adnascentijs radicularum. Dioscorides fatetur alicubi sine caule prouenire, locum tamen non indicat. Videtur etiam species Verbasci fore: quandoquidem illam Dioscor. Verbasco similem facit, atq; adeo Phlomum, & Verbascum nominat, id quod & figura in totum negare non potest. Ad hoc pulchre facit, quod & Apuleius Verbascum pro Enula agnoscit.

LOCVS PROVENTVS eius radicis.

Enula opacis plærumq; prouenit locis, quamuis & in montibus nonnunquam exerescat.

TEMPVS COLLECTIONIS.

Colligitur mense Aprili, antequam in folia uis omnis expẽdatur. Sunt tamen qui eam in æstatis principio colligant. Alij in autumno. Si autem ex ea aquãm distillare libeat, ex sola radice fiat, idq; sub finẽ mensis Maij.

TEMPVS DVRATIONIS.

Si debito tempore collecta fuerit, commodoq; loco asseruata, triennio in magna efficacia seruatur.

COMPLEXIO.

Recentiores Medici in secundo ordine calefacientium locant, in quo

& siccat

& ficcat. Virtutem illi affignant, groffum phlegma incidendi,

I V V A M E N T A.

Cocta, & pota radix hæc, urinam & menftrua cit mulieribus.

Puluerifata, & cum melle in electuarium redacta, pectus mollit, fedat afthma, tuffim, & fanguinem exfcreantibus.

Aqua decoctionis Enulæ, arenulas lumborum pellit.

Interanea rupta confolidat.

Stomachum roborat.

Neruos & artus confirmat.

Calculum uefica frangit.

Tumores matricis extenuat.

Pudendorum inflationes fedat.

Fœtum mortuum expellit.

Venena & uenenofus morfus fanat.

Folia eius fi tumentibus, et paralyticis membris fuperponatur, magnū præftant auxilium.

Vinum Enulatum ad omnia prędicta commodiffime bibitur, fi rite fuerit confectum.

Apoftematibus lintheo impofita, præfidio eft.

Fiftulis ab intra & extra commodiffime applicatur.

Næuos et maculas natiuas, delet, cum fingulis diebus puerperij ex hoc decocto lauantur infantes.

Herba potata, pectus & epar emendat, corcꝫ corroborat: idcꝫ ob illius aromaticitatem euenire, nulli eft dubium.

De SPINACHIA.

Teutonice/ Bynetſch.

RHAPSODIA. XXXVI.

HOLVS hoc non inepte pro Lapatho accipitur, tametfi quibufdam fecus uideatur: certe quod ad medicinas attinet, nihil difcriminis uideri poteft. Herba alioqui coquinis nota.

I V V A M E N T A.

Spinachia pingui iure carnium excocta, uentrem pulchre laxat, pectorisque & pulmonum anguftias leuat.

Quibus fpinæ dorfi dolent, his Spinachia comefta, præfenti remedio effe, compertum eft. I 3

PORTVLACA.



❡De PORTVLACA.

Teutonice/ Burtzelkraut.

RHAPSODIA. XXXVII.

PORTVLACA Græcorum Andrachne est, ex earum genere herbarum, quæ Semperuiuo attinent, eiusdem generis, & medicinæ: uenit etiam loco cibi. Nam apud Italos frequenter, & auide comeditur.

LOCVS

Crescit locis maxime cultis. ut sunt uineæ & sata. Potissimum autem in areolis hortorum, ubi reliqua hortensia plantantur & rigantur.

GENVS & FORMA.

Duo genera Portulacæ facit Diosc. Hortense unum, alterum Campestre. Hortense in areolis hortorum seritur, estq́ herba admodũ pinguis, & crassa, folio fere fabaceo. Caulem profert rotundum, rubicundum, & humi serpentem. Campestris uero Portulaca, tertium genus Semperuiui est, quemadmodum in Semperuiuo indicabitur. Portulaca nostra, quæ Semperuiuum minus dicitur, in petris nascit̃, nonnunq́ etiam in hortis, quæ ex rubicundo caule, folia profert, quæ edendo succulenta, mucilaginosa, & salsa esse sentiuntur. Natura illi tam acris est, ut etiam uulneret fauces comesta. Est illi primaria uis, strumarũ discutiendarum, si cum axungia porcina strumis imponatur.

TEMPVS COLLECTIONIS.

Si quis ex ea aquam per distillationem elicere uelit, recte id sub finem Maij facturus est.

COM-

COMPLEXIO.

Galenus huic herbæ frigidam & aquosam assignat naturam, modica acredine & stipticitate prædită: quo fit, ut calidas & cholericas fluxiones cohibeat, reducens eas ad propriam naturam. Vehementer infrigidat, adeo, ut recte tertio ordini frigidorum, et secundo humidorum deputetur. Quibusdam etiam cibi loco uenit: tametsi parum nutriat, ob abundantē illius uiscositatem, humiditatem, et frigus. Quare potius medicinæ, quam cibo seruire debet.

VIRTVTES ET IVVAMENTA

Portulaca hordeaceæ mixta farinæ, & emplastri modo imposita, uehementes capitis dolores sistit, caloresq; oculorum refrigerat.

Sacrum ignem, & calorem stomachi restinguit.

Dolores uesicæ tollit. Lasciuiam compescit.

Ventris tormina uel dysenterias stipat.

Renes & uesicam confortat.

Succus illius bibitus, ardentibus opitulatur febribus.

Lumbricos uentris occidit.

Cruentas exscreationes emendat.

Hæmorrhoidas occludit.

Collyrijs oculorum utiliter miscetur.

Succus illius rosato oleo mixtus, calidos dolores capitis quiescere facit.

Hoc unguine tempora perunctа, suauem conciliat somnum.

Pustulas quæ in capite oriuntur, sanat.

Aqua distillationis illius bibita, calidam & siccam tussim cöercet.

Stuppæ canabinæ in eius succo, uel aqua intinctæ, calorem epatis restinguunt impositæ.

Idem facit aqua ebibita.

Pueris & infantibus hęc aqua recte datur contra calores, et lumbricos.

Sitim uehementer extinguit.

Qui peste sunt infecti, nihil melius bibere possunt.

Contra faucium & linguæ ardorem, exterge cum spongia linguam patientis, aqua Portulacę madefacta, in qua semen Basiliconis bullierit, & sanabitur.

Anhelationes ex grauibus caloribus quiescere facit.

Calorem sanguinis extinguit.

Decoctum illius, dolores dentium compescit.

Si cui dentes ex quauis re acerba obstupuerint, is herbam hanc masticet, aut os ex illius aqua subinde colluat.

Pudendorum ulcera sanat.

Superfluas menstruorum fluxiones succus illius bibitus cohibet.

Sanguinem e naribus fluentem herba masticata constringit.

Per omnia Lapatho acetoso assimilatur, neq; inepte unum pro alio in usum uenit.



Ex genere Carduorum est hæc herba. Teutonice, Unser frawen dystel.
repone supra fol. 65. Tomo. II.



ℭDe ANISO. Teut. Eniſʒ.

RHAPSODIA XXXVIII.

ANISVM tam Græcis quam Latinis, non minus culinæ ꝗ̄ Medicinæ eſt uſui, quondam ſummopere celebratũ a philoſopho Pythagora. A Plinio uero cenſetur inter præcipua quæ appetentiam cibi concilient. Apium (eodem Plinio autore) Cretenſe eſt proximum quod ex Aegypto uenit, id quod in obſoniis pro Leuiſtico utuntur, recens, plenum, odoratum, nulla uiſcoſitate abhominandum.

GENVS ET SPECIES.

Dioſcorides Aniſum duobus uerbis deſcribit, cum dicit. Aniſum paruũ ſemen eſt, id quod in Syria Apio ſimile creſcit, magnũ, acutum, oblongũ.

COMPLEXIO, & IVVAMENTA.

Aniſum calfacit & ſiccat ex tertio ordine, habetq̧ uim adunandi, concoctionem uentriculi, & uentoſitates conſumendi.

Semẽ Aniſi urinas, & mulierũ mẽſtrua promouet. Anhelitũ facit bonũ.
Dolores mitigat. Humores inter cutẽm & carnem conſumit.
Sitim arcet. Venenum ex morſu animalium expellit.
Tumores præter naturã reſidere facit. Omnis generis hydropicos (ſanat
Alba meſtrua mulierum extergit.
Lactanubus ubertatem lactis miniſtrat. Libidinem concitat
Fumus ex eo naribus hauſtus, dolores capitis ſedat.
Roſaceo contritũ oleo, auribusq̧ immiſſum, contritiones earũ ſanat.

Vſus tamen eius commodiſſimus eſt, poſt omnem cibum, ſi Zacharo opertum ſumatur, tum ſtomachi os claudit, aromaticoq̧ ſuo odore caput coufortat. Eſt autem bonum quomodolibet ſumptum.

Qui a scorpione ictus fuerit, Anisum ex uino bibat, tum illi uenenum id innoxium erit.

Si in syndone ligetur, & per noctem sub puluinari retentum sępe odoretur, mala insomnia arcere creditur.

Anisum in cibo sumptum, omnem nauseam & cibi & laboris ex corpore pellit.

Si quid noxij in oculum ceciderit, contritum Anisum, & superpositum hoc extrahit.

Aquæ incoctum, naribusq; inditum, ulcera eorum sanare dicitur.

Item Anisum ualet contra tussim, dolores capitis, cōtra colicam, & singultum, frigidum stomachum calefacit, digestionem procurat, somnum conciliat, nauseam compescit, tumorem, hysophagi cōprimit, disynterias sistit, exhuberantem sitim repellit, calefacit neruos & confortat, dolores renum & matricis sedat.

Phreneticis, & Maniacis inungi debet, puerperis item, & pueris epilepticis cum aneto.

Pythagoras asserit, neminem a sacro morbo corripi posse, qui Anisum apud se gestauerit: quapropter in copia plantandum & serendum erit.

Parturientibus facilitat partum, si olfaciant in enixu: postquam uero pepererint, mox erit puerperis in potu tribuendum.

Sosimenes omnem duriciem cum Aniso ex aceto molliuit.

Contra lassitudines coxit Anisum in oleo & nitro.

Idem recepit uiatoribus, nunquam eos lassari, qui Anisum biberint.

Heraclides pugillum Anisi cum modico castorij exhibebat, contra tumores stomachi & intestinorum, atq; etiam asthmata.

Mulieribus quarū matrix, præcordia peteret, exhibebat anisum cum castorio, aceto, & melle.

Cum aceto potatum, sudores elicit.

APIVM.



Epffich.

DE APIO.

Teutonice/ Epffich.

RHAPSODIA XXXIX.

DE NOMINE.

APVD ueteres prouerbio tritum est, Ne inter Apia quidem est: quo dicto initia rerum indicare uoluerunt. Nam Apia quondam in hortorum ingressu plantabantur. Pueri etiam qui palestræ et Olimpijs educabantur, in Apium ponebantur, ut in eo adolescerent. Similiter & senes cũ festa Herculi sacra celebrarent, ob leonem Nemeæ interemptum, Apio ad honorem dei coronabantur. Solis puerperis Apium attingere non licebat: quod crederent, eo cõtactu infantes epilepticos euasuros. Foemella huius herbæ uermiculos aliquot in caule concipit, quos qui in cibo sumpserit, siue mas sit, siue foemina, in posterũ nunquam generabit. Quapropter inuisum & execratum fuit Apium, & (teste Plutarcho) mortuis dedicatũ, ut eorum monumenta Apio redimerentur. Contra hos fuerũt Græci quidam, qui hanc herbam singulariter celebrabãt, quasi primariam piscium uiuarijs medicinam, nam deficientibus piscibus, in uiuaria conijciebant, tum languidos pisces recreabat. Nomen illius græcum σέλινον est, latinũ Apium: ea ratione, ut Planta refert, quod Apibus flos Apij in delicijs sit. Aut deriuatur Apium a dictione Apex, id est, caput, quod ueteres ex Apio coronas capitibus suis imponerent. Sunt tamen qui hanc herbam & Ambrosiam uocari uelint.

Apium execratum.

σέλινον.

GENERA ET SPECIES.

Plinius Chrysippum citat, qui duo genera huius herbæ facit, Masculinum, & Foemininum: asserens Foemininum dura & crispa habere folia, caulem pinguem, & acuti saporis lingua gustatum. Sed Masculinum sit nigrius, radice breuiore, & ferre uermiculos admodum noxios, ut prædictum est: utlecque esse, si hæc herbam non edatur.

Alia GENERA APII ex Theophrasto, Dioscoride, & Plinio.

Sunt & alia Apij genera a Dioscoride, Plinio, & Theophrasto nominata, ut Apiastrum, Eleoselinon, Oreoselinon, Petroselinon, Olusatrum, Smirnium, Petroselinon Macedonicum: quibus & alij addunt Cicutam, & Cerefolium: omnia quidem Apijni generis, quæ discernere facile non est, quare & multi in eis impegerunt, ut fusius alibi dictum est. Quod iam doctis committimus, et his, qui herbaria conscribere, nihil artis habere putant. Commune Apium apud nos etiam duorum est generum. Domesticum unum, Syluestre aliud, inuicem fere similia, ad Petroselini formam tendentia: nisi quod Apium grossius, nigrius, & altius est: contra Petroselinon leuius, uiridius, & minus est: uti cernere licet.

LOCVS.

Quamuis Plinius afferat, Apium difficulter oriri, uidelicet post sex, aut septem hebdomadas a satione, contrarium tamen nos experientia docuit.

Serit seipsum, & sponte crescit cultis & incultis locis: uerum colitur studiose ab hortulanis, & potissimum locis bene cultis. Durat biennio. Cum chylindro terra a satu planatur, surgit Apium crispius. Theophrastus singularia genera & species huius herbæ ponit, & mutationes coloris, si quis rite sciat tractare: sed nos holitoribus hoc committimus.

COMPLEXIO.

Apium tam est calidæ complexionis, ut urinas, & mulierū menstrua pellat, uentositates ex corpore educit: idq; facit semen commodius quam herba. Similiter facit Oreoselinon, & Hipposelinon: quamuis Hipposelinon minus.

IVVAMENTA ET Medicinæ Dioscoridis.

Apium polentæ mixtum hordeaceæ, uel cum pane, calidis oculis impositū, dolorem mitigat.

Simili modo calidiori remediatur stomacho, paresq; uires Coriandro obtinet.

Apium duratas mulierum mammas remollit.

Vrinam promouet coctum & crudum.

Folia & radix excocta, uenenum expellit, & est uomitorium.

Aluum lubricam constipat.

Semen tamen in omnibus herba est fortius.

Excellentissimum est contra omnium uenenosorum animalium morsus, & his maxime qui lithargyrium sumpserunt.

Stomachi tumores sedat potum.

Anodinis miscetur medicinis, & his quæ somnum conciliant, tussim sedant, & contra uenena bibuntur.

PLINIVS.

Melior fit aqua cui Apium sit incoctum.

Succus radicis uino mixtus, nephreticos dolores sedat.

Si decocto eius cōtusa membra foueantur, liuores eorum sanat, maxime si ex oui albo superliniatur.

Aquæ incoctum & potatum, renibus est præsidio.

Ex frigida contusum, oreq; retentum, ulcera eius consolidat.

Aqua distillata, pudendorum inflammationi prodest.

Si caput & tempora ex eo lauētur, & p se exiccētur, somnos accrescere phibetur.

Si duæ unciæ ex ea bibantur, idq; sępe, calculosorum dolores sedat.

Quod si fortius uelis medicamentum, semen puluerizatum cum aqua rhaphani bibatur, tum urinas uehementer pellit, lapidemq; comminuit.

Paratur etiā ex semine melicratū, pbe diureticū quod & mulierū menstrua ducit, & digestionē procurat. Semen Apij masticatū, odorē oris et anhelitū facit bonū.

Quotidie in cibo sumptum, colorem corporis reddit amœnum.

Cū Fœniculo concretū lac mamillarū dissoluit: caueto; ne suppurentur mamæ.

Incoctum uino cum radice Petroselini, futuræ resistit aquæ intercuti.

Succus Apij cū albo oui, stuppa uulnerib. impositus, eadē recte mūdare creditur.

Pregnantes ab hoc semine cauere debent, quia pueri ex eo uarias ægritudines & pustulas acquirunt.

Apium & Abrotonon si aquæ incoquantur, caputq; ex eo lauetur, fluentes capillos confirmat.

Cum in medicinis Apium scribitur, plærumq; de semine, aliquando tamen & de radice intelligitur.

QVAESTIO.

Non inepte quæritur, Cur Apium refrigerare dicatur, cum sit calidum? Verum hæc alio sunt emendanda.

POLYPODIVM.



De FILICVLA.

Teutonice/ Engelsüß.

RHAPSODIA XL.

De NOMINE.

FILICVLA Grecis Polypodiũ dicitur, quod Polypo pisci assimilatur.

LOCVS.

Iuxta Theophrasti sententiam, gaudet Filicula petrosis locis: uerũ Plinius & Diosc. aiunt in petris crescere, & in magnis quercubus, nonnunquam & circa earum radices: quod ueritati magis quadrat.

ELECTIO.

Melior, & quæ usui medicinæ est apta, ea est, quæ ex antiquis quercubus colligitur, qua cum uentrem lenire quis intendit. Verum quæ in petris nascitur, conterendis lapidibus ego aptiorem putauerim.

FORMA.

Dioscorides ita pingit. Filicula nascitur in muscosis petris, & in uetustis arboribus, earumque truncis, præser im quercuum dodrantali altitudine, quadamtenus pilosa, incisuris diuisa, nõ tamen adeo minutis ut Filix.

Radix

Radix illi est pilosa, polyporum modo cirros habens, minimi digiti crassitudine. Derasa hæc, intus herbacei coloris est, sapore in acerbo subdulci.

COMPLEXIO.

Paulus & Galenus putant, qualitate uehementer esse siccam, uerum sine notabili acumine, calidam & siccam ponunt in secundo ordine.

VIRES ET IVVAMENTA.

Virtus illi purgatiua est.

Decoctum eius ex iure gallinæ, piscium, Betæ, uel Maluæ, per sedem nigram choleram & flegma expellit.

Idem operatur puluis eius ex hydromel'e potus.

Melancholicis etiam prodest febribus, & cholicæ, si in iure ueteris galli coquatur, & bibatur.

Fissuras manuum & pedum sanat.

Aqua ex ea distillata, tussientibus prodest, & melancholica fantasmata, cum grauibus & horribilibus insomnijs, si iture cubatum fuerit præsumpta.

PRAEPARATIO EIVS.

Sed quia Filicula uehementer siccat, corpusq; extenuat, nauseam mouet, & parum laxat, ob id rectificatione opus habet: quæ fit, si ex hydromelle, aqua lactis, iure gallinacei, aut gallinæ, decoctione passularum, uel qua hordei sumatur: aut cum fœniculo, aniso, uel gingibere: quodlibet horum correctiuorum sumpseris, recte feceris.

DOSIS.

Pro una uice iubet Mesue dare a duabus drachmis, usq; ad aureos. IIII. Manardus tamen Ferrariensis, testatur, se pluries unciam integram exhibuisse, idq; adhuc parum & sine molestia duxisse.

❡De VISCO, QVI ALIAS vocatur Viscus quercinus.

Teutonice/ Affolter/ oder Mystel.

RHAPSODIA XLI.

NASCITVR in querculis & pyris. Ramulus est qui & ipse paruæ arboris specimen gerit: cui Visco nomen indidit Antiquitas. Lutheis folijs, sed magis in uirore pallentibus, acutioribusq;. Sunt qui pro ἰξία græce sint interpretati, fortasse, falsi in nomine: ut græce Viscus sit ἰξὸς, uel ἰξὸν, non ἰξία. Verum de hoc errore qui uelit, admodum prolixam disputationem uideat apud Leonicenum lib. de Erroribus Medicorum, & Leonardum Fuchsium libro eiusdem inscriptionis. Attigit & Hermolaus Barbarus de Visco non indocta plæraq;, quæ poterunt studiosi Corollario huius Capitis isthic legere,

HISTORIA VISCI EX Dioscoridis libro 3.

Viscum optimum est recens, intus porraceũ, extra fuluum, quod asperi nihil, aut furfurosi receperit. Fit acinis in robore nascentibus, Buxeo fruticis folio. Contusum acinum lauant, & postea in aqua decoquunt. Sunt qui commanducando ipsum efficiunt. Gignitur quoq; in malo, pyro, & plærisq; alijs arboribus. Quinetiam inuenitur in quorundam fruticum radicibus.

VIRES ET IVVAMEMTA EIVS.

Parotidas, tubercula, cæterasq; collectiones ad maturitatem perducit. Emollit enim, discutit, & extrahit.

Cum resina & cera pari, epinyctidas in splenio sanat.

Vlcera uetera, suppurationesq;, quas cacoëthe uocant, ex thure mollit.

Lienem cum calce, Gagate, aut Asio lapide impositum, absumit.

Cum sandaraca, aut auripigmento illitum, anginas extrahit.

Mixtum cum calce, & uini fæce, uim suam intendit.

Reliqua de Visco, uide apud Plinium libro. 10. capite ultimo, & Galenum libro 6. Simplicium.

DE LVPVLO.

Teutonice/ Hopff.

RHAPSODIA. XLII.

De NOMINE.

HERMOLAVS Barbarus, uir in cognitione herbarum exercitatissimus, de hac planta in hunc fere modũ scribit. Vehemẽter errant, qui Corrudã, pro Lupulo, quę uocant accipiunt: quod folia contradicant, quæ in Corruda tenera, lubricaq́ꝫ sunt capillorum instar, Lupuli uero folia Bryoniæ assimilantur, suntq́ꝫ acutiora. Caulis eius birsutus & spinosus est: cæterum germinat & expanditur sicut Corruda acuminata. Flores illius albicant, odorem Allij, & uini referentes. Græci communiter Bryton uocant (ut arbitror) a Bryonia. At uulgus scandentem uocat Bryoniam, Nec dubito, quin flores illi sint. Germani Ceruisiã suam excoquunt. Galli Habiolã, uel Habillam uocant. Germanorum alius Humulum, alij Tholophin. Quin etiam crediderim, eam esse plantam quę a Plinio Lupus salictarius uocitetur. Quoniã natura gaudet truncos Salicum ascendere, & se illis inuoluere. Quapropter Flãmingi Lupum repticium uocant. Eiusdem opinionis est & Manardus Ferrariensis Epistolarum libro. 5. Epistola. 1. Reliqui fere pro Volubili maiori capiunt: aliqui tamen pro media. H. Barb. lib. 2. Dioscor. cap. 139.

LOCVS

Nascitur cultis & incultis locis. Aliquæ prouinciæ plantant & colunt uinearum instar: ut plerunq́ꝫ faciunt Saxones & eorum uicini.

COMPLEXIO.

Ioannes Vigonius nobilis chirurgus, æstimat Lupulum calfacere & siccare in primo gradu, quamuis et nonnihil frigoris habeat: unde inflammationes membrorum lenire potest, & sanguinem purgare.

VIRTVTES ET IVVAMENTA

Recentiores medici hodie hac herba cum floribus suis utuntur ad expurgandum sanguinem melancholicum. Insuper ad ulcera & scabiem. Ratio est, quia epar & lienem deoppilat, & purgat.

Succus eius mane & uesperi auribus tepidus instillatus, suppurationes earum compescit.

De SEMPERVIVO.
Teutonice/ Hausswurtz.

RHAPSODIA XLIII.
De NOMINE.

Lib.4.cap.54. SEMPERVIVVM Græcis ἀείζωον uocatur apud Diosc. ea ratione, quod perpetuo uirescat, tam Hyeme, quàm Aestate. Singulari naturæ miraculo, quod supra tecta, sicciſſimis locis, cũ tanta humiditate excrescit. Deinde, quod præ cæteris herbis, solaribus radijs est subiecta, adhuc tamen ea frigiditate perdurat. Vnde apud multos opinio concepta est, tecta fulmine non posse tangi, quæ in culmine Semperuiuum habeant. Sane inefficax futurũ fulmen, quod tam fragili herba retrudatur. Olim imperatores Rhomani Semperuiuo se coronabant, ob id tantum, ut ab incõ modis fulminum essent tutiores. Græcorũ Poetę fabulantur, quemadmodũ Glaucus deus marinus hac herba immortalitatẽ sit consecutus. Latini multa illi aſſignant nomina, Semperuiuũ, Sedũ, & Barbam Iouis uocantes, omnia ob illius perpetuitatem & excellentiam. Nam merito uenit admirandum, quomodo omnia aëris incommoda, tam a calore, quàm frigore, tam sicca quam humida, semper euincere queat prę alijs herbis omnibus: de quo poëtis facile esset integra conscribere uolumina.

LOCVS SEMPERVIVI.

Nascitur, ut dictum est, in ædiũs domorum culminibus & tectis, in muris ruinosis, & altis montanijs.

GENERA & SPECIES eius.

Duplex a Plinio indicatur Semperuiuum, a Diosc. triplex. Primum genus maius est Semperuiuum, caulem proferens cubitalem, in quo folia pinguia, craſſitudine pollicis, breuia, & ex rotundo acuminata ad modũ paruæ linguæ. Quædam ad terram incuruantur, alia perstant erecta, sibi coniunctiſſima, formã oculi, uel stellæ repræsentantes. Ab aliquibus Buphthalmos nũcupatur. Aliud genus Semperuiuum Minus dicitur, quod paſſim in tectis, ruinosis muris, & umbratilibus locis affatim prouenit, multis ijsdemq; paruis cauliculis, in quibus craſſa & pinguia follicula habet, in rotundum acuminata, palmæ altitudine. Duum & hęc est generũ: unũ enim albos, aliud luteos profert flores. Luteos in syluis & præruptis montium inuenitur. Hanc Latini Craſſulam minorem, Vermicularem, et Trichalem nominant: quod ter in anno floreat.

VIRTVTES maioris SEMPERVIVI.

Virtutem habet refrigerandi cholerica & flagrantia apostemata, sacrũ ignem, & ulcera æsthiomenica.

Folia cum polenta hordeacea imposita, podagras sanat.

Succus oleo rosato permixtus, & capiti inunctus, dolores capitis ilico sanat.

Diarryhias, & disynterias compescit.

Si quis uino incoctum biberit, a lumbricis uacuabitur.

Mulierum

Mulierum menſtrua exiccat.

Verum eius aquæ uſus intra corpus nõ eſt tam ſecurus, niſi alijs aquis fuerit permixta: ob abundantem illius uim refrigeratiuã. Cæterum oẽs calores refrigerat cõmodiſſime, ſi inunctum in ea lintheum corpori loco dolente imponatur.

Stuppa canabina iecori impoſita, calores eius conſumit.

Prodeſt etiam in peſte bibitum.


Intinctus in ſucco, aut aqua Semperuiui pañus, et podagris impoſitus, dolores eorum leuat.

Cui per noctem palpebræ concreſcunt uiſcoſo humore, adeo, ut aperiri non ualeant, has aqua Semperuiui inuncta, relaxat.

Phreneticorum capitibus commodiſſime imponitur.

Si ſucco Semperuiui lac mulieris maſculum nutrientis miſceatur, tresq; guttæ in aurem indantur, amiſſum reparat auditum.

Premulæ Veris bulbus.



Zeitlößlin blům/vnd wurtzel.

LEVISTICVS.



Lyebstöckel.

De LIGVSTICO, VEL LEVISTICO.
Teutonice/ Liebstöckel.
RAPRODIA. XLIIII.

De NOMINE.

LIGVRES olim Leuistico pro pipere utebatur, nō quod Indico carerent pipere, sed quod illud nimio præditū esset calore, & ne frustra ab alijs uiderentur magnis sumptibus cōparare, quæ domi illis patria ipsorum subpeditaret. Inde & Leuistico nomen accreuit, ut a Liguribus Ligusticum appellaretur: quod deinde Galenus Libisticum nominauit, & nos adhuc corruptius Leuisticum appellamus.

LOCVS

Nascebatur olim præcipuum in Appennino monte Italiæ & Liguria, unde & exteris nationibus illius facta est copia. Humectis & umbraculis gaudet locis.

GENVS ET SPECIES eius.

Leuisticū haud dubie inter Panacis genera connumerari debet, ex quibus & inter præcipua est, uel Dioscor. teste. Holus est longo & inani caule, altitudine & figura Valerianæ similis. Floret ad modū Astranciæ, Valerianæ, & Angelicæ, floribus albis, folijs Petrosilij, latioribus tamē & crassioribus. Odor in totum Panacem seplasiariorum æmulatur.

COMPLEXIO.

Paulus Aegineta Leuistici radici & semini talem caliditatem assignat, ut & menstrua prouocare possint. Recentiores ponunt calidum et siccū in secundo, uirtutis diureticæ.

VIRES ET IVVAMENTA.

Semen Leuistici excellens est & ad cibos condiendos: quod olim ueteribus Petrosilij loco fuit in usu.

Intestinorum dolores leuat.

Stomachi tumorem extenuat.	Humores eiusdem digerit.
Venenosos serpentium ictus sanat.	Vrinas pellit, & menstrua.

Aqua eius ex lintheo imposita, dolores capitis mitigat.

Puuctiones laterum auertit.

Nephritim, & calculi dolores emendat.	Arenulas pellit.
Anginæ gargarizatum prodest.	Raucedini remediatur.
Si ex ea facies lota fuerit, claram reddit.	Cancrum sanat.


Immundicias pudendorum muliebrium extergit.

Balneū factum ex leuistico, roremarino, melissa, chamomilla meliloto, stechade, & squinanto, ex uino resoluta memb. a, arteticos restaurat.

Semen potum, per uomitum & sedes purgat.

Spasmaticis utiliter exhibetur.

Lenticula aquæ.



Mörlynßen.

DE LENTICVLA aquæ
Teutonice Mörlynßen.

RHAPSODIA XLV.

LENS aquæ, uiride illud uocatur, quod stagnantibus aquis supernatat. Nomen illi apud Diosc. Lens pallustris est, aut Viperalis. Muscosa hæc res, reuera neq; radices, neq; folia habet, sed id quod uiride uidetur, colluuies quędam uiscosa est, quæ in folium concrescere non potuit.

IVVAMENTA.

Omnes sanguinis fluores qui ex calore ueniunt, Lenticula aquæ sistit.
Idem facit in cholericis apostematibus omnibus.
Calidam mitigat podagram.
Aqua distillationis eius epota, ioternos calores reponit.



❡De AVRICVLA MVRIS.
Teutonice/ Meußörlin.
RHAPSODIA XLV.

MVLTI herbarum scriptores Anagallidem pro Auricula muris sunt interpretati, pudendo errore: in quem eos Auicenna, eorum Idolum, produxit. De hoc Leonardus Fuchsius copiose disputat in libro de erroribus Medicorum ab eo scripto: quod & medicorum scholæ pensandum committo, ne perpetuo Quid pro Quo, græcum inquam albũ, pro zaccharo cogantur accipere. Dioscorides ait, herbam a similitudine quam cum auricula muris habet, sic esse nominatam.

GENERA ET SPECIES.

Duo illius genera ostendit Dioscor. Primum, quod in syluis & arenosis locis crescat, Alsine uocatum: id quod hodie nõ inueniri, testatur Dioscor. interpretes. Alterum genus multos ex una radice protrudit caules rubicundos, & cauos: foliis oblongis, a dorso acutis & nigris, e regione bina prodeuntia, per aliquot spacia seiuncta. Radix illi digitali crassitudine a Diosc. describitur. Quod autem nos Auriculam muris nominamus, herbula pilosis foliis est, per terrã ex hirsuto caule sparsa, cui flores lutei sunt & odorati. Sunt et eius duo genera. Vnum magnis, alterum paruis foliis, eodem tamen flore lutheo. Sunt & aliqui, teste Diosc. qui hanc herbã Helxinem uocent: de quo in Parietaria scriptum est.

COMPLEXIO.

Auricula muris Alsine uocata, frigida est & humecta, non secus atque Helxine est. Refrigerat tamen sine stipatione cholerica apostemata.

VIRES ET IVVAMENTA.

Diosc. easdẽ uires herbæ huic, quas Mercurali et Parietariæ assignat. Hieron. Braunschuuigius aqua illius utitur contra

Phtysim	Vertiginem
Hæmoptoicam	Oculorum maculas
Colicam	Matricis incommoda
Lumbricos	Tumores & innaturales corporis calores.

EXPERIMENTA probatissima contra Repturas.


Eruta radix cum herba, in puluerem[que] redacta, pueris detur & adultis in eorum cibariis.

Contra ictericiam coquitur utiliter cum fragaria in uino, si ius a panente bibatur.


❡De

De PIPERITE.
Teutonice/ Pfefferkraut
RHAPSODIA XLVI.

PIPERITES herba a pipere nomen traxit, ob acrimoniam eius, qua piperi, aut sinapium refert: calida haud dubie & sicca ad gradum usque tertium. Caulis illi trium cubitorum, cauus, flores albi ut Pipinellę, sed non tam expansi. An ex genere sit Persicarię, nec ne, dicere iam nō possum. Audio tamen culinariam esse, et salsamentis aptam.



PETROSELINON.



Peterlin.

DE PETROSELINO.

Teutonice/Peterlin.

RHAPSODIA XLVIII.

De NOMINE.

CVM Petroselino quo pacto agatur, quod Apium hortense uerum est, ut Manardus & Collinutius testantur, breuitatis causa missum facio: quoniã nec docti quidem de nomine conueniunt, & inter se strẽnue digladiantur Leonicenus, Manardus, & Collinutius, ut in Herbarij nostri Tomo secundo uideri potest. Conijcere igitur licet, cum docti necdum sciant, quod uerũ sit Petroselinon, atq; id nemo ignorat coquinaria, quantum fidei in rebus magis arduis sit ipsis tribuendum, id quod mirari satis non possum. Ideo & nos uenia digniores erimus, si alicubi fuerimus hallucinati: quamuis a nobis sedulitas, studiumq; nullum sit intermissum. Platina qui de rebus culinarijs scripsit, arbitratur Petroselinon Petrapiũ, & Holus atrum eandem esse herbam, de quo doctos quam me pronunciare malo.

LOCVS.

Foecundissima herba est Petroselinon, ubiq; in umbrosis locis faciliter prouenicns. Resectum subinde pullulat dum radicitus euellatur.

QVOD PETROSELINON sit melius.

Licet Petroselinon ubiq; perueniat, præstantissimum tamen Macedonicum est. Diosc. teste, sequens Alexandrinum & Smirnianum. Nam ut uina unius terræ quam alterius sunt præstantiora, ita & in herbis usu uenire dubium non est.

VIRES ET IVVAMENTA.

Petroselinon urinam pellit, arenulasq; & lapillos renum eijcit.

Mulierum menstrua promouet.

Ventositatem uentris discutit,

Colicam releuat, dolores lumborum, dorsi, renum & uesicæ cum stranguria compescit.

Tumores stomachi discutit.

Cum a rabido cane morsus decoctum Petroselini biberit, & ex herba cum semine cataplasma super uulnus imposuerit, sanabitur.

Appetentiam uentriculi aqua eius pota suscitat, uiscositatesq; eius extergit, & epar obstructum deopilat.

Hoc solum incommodat, quod corpori inunctum pilos excidere facit.

LIQVIRICIA.



Süßholtz.

DE LIQVIRICIA.

Teutonice/ Süßholtz.

RHAPSODIA XLIX.

De NOMINE.

LIQVIRICIA Barbarum nomen est, Græce γλυκυῤῥίζα, quod dulcem sonat radicem. Ita, barbaries irrepsit ferme in omni genere scibili, imponens etiam simplicissimæ rerum cognitioni.

LOCVS.

Glycyrrhiza cultis, pinguibus, & dulcibus locis nascitur.

FORMA EX DIOSC.

Nascitur plurima in Ponto, et Cappadocia. Breuis frutex est, bicubitalibus ramulis, in quibus folia sunt densa Lentiscosimilia, pinguia, tactuque glutinosa. Florem fert Hiacyntho similem: fructum pilularum Platani magnitudine, asperiorem tamen: siliquas Lentis figura breues, rufasque habentem. Radices illi longæ buxeo colore, Gentianæ modo, sapore leniter acerbo, sed dulci.

COMPLEXIO.

Temperatæ complexionis, hominisque naturæ commodissima est: ob id & arterias lenit, & uesicam cum renibus, sitimque præ alijs rebus tollit.

VIRES ET IVVAMENTA.

Masticata Glycyrrhiza, sitim compescit.
Vrinam prouocat.
Renes expurgat, & uesicam.
Menstrua promouet.
Vulnera inspersa sanat.
Vocem clarificat.
Internas humiditates digerit.
Peripneumanicis est utilis.
Apostematibus pectoris auxiliatur.
Asthmaticis, sanguinem spuentibus, & raucis opitulatur.
Pthysicos etiam restituit.

CENTAVREA.



¶De CENTAVREA.

Teutonice/ Tausent guldin kraut.

RHAPSODIA L.

De NOMINE.

SI FIDEM Plinio damus, a Chirone Centauro hęc herba nomen est sortita: qui cum hospitis sui Herculis tela imprudēs attrectasset, casu telo in pede uulnus accæpit, quod tandem uix hac herba sanari quiuit. Hactenus nomen Chironij, aut Centaurij obtinuit.

GENERA ET SPECIES eius.

Vterq; Plinius et Diosc. tria esse genera huius herbę affirmant. Magnū uidelicet, Minus: & quod Triorchin uocant, a Niso, qui effodientibus eā negocium facessat, raroq; quis illius insidias effugit.

De MAIORE CENTAVRIO.

Dubio uertitur, sit ne hodie Centaurium maius cognitum, & quid sit. nam a plærisq; in hoc uehementer erratur. De quo multa Leonicenus, & Fuchsius in medicorum erratis ostendunt. Sunt qui dicant Rhabarbarū esse, alij Matricariam, aut Rhaponticum, nec finis est somniorum.

Dioscorides cum Plinio ita depingunt.

Maius Centaurium folia nucis Iuglandis habet, uiridia, Brassicæ folijs similia, & in circumitu serrata. Caulis illi altus est, duorum & semissis cubitorū, nodosus, superne ut Papauer capitatus. Radix magna, spissa, pinguis, grauis, rubicunda & humida, friabilis, & amara cum quadam dulcedine, trium propemodum pedum longa. Flos illi cæruleus est, semen Cartamo simile in floccos abditum.

De MINORE CENTAVRIO.

Minus Centaurium Origano simile est, & Hyperico, angulosocaule,

dodrante altiore. Flos illi purpureus. Folia Rutæ similia, oblonga, & parua. Radix illius breuis, leuisque, medicinæ inepta.

LOCVS utriusque CENTAVRII.

Maius Centaurium pinguibus & apricis excrescit locis, nonnunque & in syluis ac collibus. Minus humecta desyderat, loca irrigua, fontibusque propinqua.

Quæ inter utramque melior sit.

Licet maius Centaurium, minori multo esset præstantius, ut quod olim contra omnes exhiberetur ægritudines, cum qua & Galenus miranda perfecit, & ueterum quidam integrum ei uolumen dicauit, contentos tamen Minori nos esse oportet, dum Maioris facta nobis fuerit copia.

COMPLEXIO Minoris Centaurij.

Radix huius herbæ inutilis est, suntque sola folia, flos & apices in Medicinæ usu. Amarum est, siccũ, & stipanus naturæ. Errant igitur, qui Maiori Minus confundunt.

IVVAMENTA.

Purulentias antiquas, & ulcera sanat, bibita illius ex aqua concoctio.
Choleram, & malos humores per sedem euacuat.
Coxendicum dolori opitulatur. quũ anodinum est, et sanguinẽ trahit.
Succus collyrio mixtus, oculis est auxilio,
Melli mixtus, & inunctus, oculorum tenebras tollit.
Mulierum menstrua propellit.
Neruos roborat.
Modum colligendi succi, & præparandi, docet Galenus proprio uolumine, ad innumeras conducentis ægritudines, ut ibidem recenset.
Centaurij aquæ decoctum, & puluis, epar & lienem obstructa aperit.
Crassos humores uentriculi digerit.
Radices febrium extirpat.
Lumbricos ejcit.
Recentia uulnera ex ea lota, sanat.
Cicatrices & maculas uulnerum æquat.
Fœtum mortuum educit, triduo, quatriduoue pota.
Contusa, fractaque ossa consolidat.
Singultum, & oxoremata uentriculi compescit.
Colicam & Iliacam pota sanat.
Hæmoptoicis, & asthmaticis, tussientibusque prodest.
Syrupus ex eo, regio morbo laborantibus prodest.
Sunt qui succo, pulueríque zuccarũ addunt, ut gustu aliquanto sit gratior.
Ex oliuarum oleo emplastri modo utiliter imponitur.



De Filice.

Teutonice/ Waldtfaren.

RHAPSODIA. LI.

Filicis genera quatuor hodie sunt mihi cognita. Filix Parua, uel Quercina. Filix Syluestris, uel Magna. Polypodium, et Saxifragia minor, uel rubea. Vnum omnibus nomen latinum, ob similitudinem foliorum, & macularum a tergo, quæ omnibus pares sunt, megnitudine tantũ distantes. Aliqui Tanacetum addunt: ꝙ Filici sit similis,

De Saxifragia rubea a nobis dictum est, Similiter de Tanaceto.

Descriptio Filicis ex Dioscoride.

Filicis folia sine caule, sine flore, sine semine, ex uno pediculo pedali magnitudine, incisuris diuisa, & alarum auiũ more explicita, in quibus odoris grauitas aliqua est. Radicẽ habet in summa terra nigram, oblongamque ex qua plures ueluti adnatæ progrediuntur aliæ, quadamtenus in gustu adstringentes.

IVVAMENTA.

Pellit uentris lumbricos latos Filicis radix, pondere drachmarũ quatuor in mulsa aqua pota. Felicius tamen id pręstat, si in scammonij, aut nigri ueratri quatuor obolis detur.

Lienosis, ut in antiquum habitum restituantur, prodest pota etiam radix huius herbæ.

De CENTVMNODIA,
Teutonice/ Weggraß.
RHAPSODIA LII.

PLINIVS refert(id quod uerum est) optimas nos herbas pedibus conculcare, quarum si uires sciremus, uirque in coelum laudibus efferremus. In Arabiam, Indiamque medicinas quaesituri transcurrimus, cum pre foribus sit, cuius opera nobis opus. Quid hac Centumnodia uilius? sed uirium eius & laudum finis nullus est. Cum non opus habeat studiose excoli, aut ex longinquo adferri, iam despectui est omnibus.

De NOMINE.

Verum Gramen est quod latinis Centumnodia, uel Proserpinatia dicitur, Graecis Polygonion & Gramen. Quapropter ubi in medicinis Gramen exposcitur, hoc Polygonio uti debemus.

LOCVS.

Nascit in coemiterijs, et uijs, passimque in omnibus muris, a seipso sata.

GENERA & SPECIES eius.

Lib.4.cap.5. Diosc. in herbarum historia lib. 4. duo Polygoni facit genera. Masculinum uidelicet, & foemininum. Masculum(inquit)numerosos, graciles, & teneros ramulos habet, geniculis interfectos, Graminis modo per terram serpentes. Folia rutae illi sunt, longiora tamen, & molliora, & singulis folijs adnatum semen: quam ob causam masculum appellatur. Flores candidi & punicei. Foemella singulari caule exiguus frutex est, tener, arundini similis, continuatis geniculis, & in seipsos tubarum modo fractis, circa quos Piceę similia foliola in orbem exeunt: locis gaudens uliginosis.

COMPLEXIO.

Quamque Centumnodia nonnihil cor stringat, aquosa tamen abundat humiditate, adeo, ut usque ad tertium gradum refrigerando sit.

IVVAMENTA quae illi DIOSCOR. assignat.

Succus eius adstringit, refrigeratque potus.

Sanguinem exspuentibus, & alui fluoribus prodest.

Calculosis item, & uesicae stillicidio. urinam enim efficacissime trahit.

Succurrit & uenenatorum morsibus cum uino potus.

Bibitur & contra circulares febres, una ante accessionem hora.

Sistit idem muliebres fluctiones appositus.

Instillatur purulentis auribus, & in dolore earum utiliter.

Genitalium ulceribus egregie medetur, cum uino decoctus, addito melle.

Contra stomachi ardores, sanguinis exscreationes, quae serpunt, sacros ignes, inflammationes, tumoresque, et uulnera emplastri modo folia utiliter imponuntur.

Smilax.



We.sch/oder Wyld Bonen.

DE SMILACE HORTENSI,
Teutonice/ Welsch/oder Wyld Bonen.

RHAPSODIA LIII.

CVM anceps apud me hęsitarem, quo tandem nomine apud au= tores hoc Fabanũ genus, quod Germani nostri Welsch Bonen uo= eant, appellaretur, cõmodum nos Hieron. Tragus, uir qui in herbarum ſcientia noſtro ſeculo (abſit dicto inuidia) parẽ non habet, admonuit, Smilacem eſſe hortenſem in Dioſc. herbarum hiſtoria: eius deſcriptionem & Fabas noſtras conferentes, prorſus reſpondere ad unguem omnia re= perimus.


DESCRIPTIO DIOSCORIDIS.

Libro 2. cap. 126. Smilax hortenſis Hederę folia habet, molliora tantum, graciles caules: & in caulibus campolas propinquis fruticibus ſe implicãtes, tanto undiq; incremento, ut ſcęnas etiã & tentoria inumbrent. Siliquas fert ſenugræco ſimiles, lõgiores tantum, craſſioresq; : in quibus ſemina renibus animali= um ſimilia, nec colore uno, uerum ex altera parte leuiter ruffa. Flores illi albi ſunt, reliquis Fabis non abſimiles.

VIRES.

Eaſdem cum Fabis habent uires, teneriores tamen & ad edendum a= ptiores.

Dioſcorides aſſerit urinam eas ciere, & grauia mouere inſomnia.



Dracontium maius.
Schlangenkraut.

Dilutio errorís in secundi Tomí fol. 63. incuria admissí, ubí pro Guthenrich hoc uerum Dracontiū maius repone. Quod & supra hoc Tomo fol. 4. attigimus.

ALTHEA. Ybisch.



De ALTHEA, Teut. Ibisch.
RHAPSODIA LIIII.

ALTHEA ad hominis altitudinem excrescit, multis, rectis & teneribus uirgulis. Virium similia habet folia, lanuginosa tamen & mollia: floribus albis Rosis similibus: quare & alba Malua uocatur. Radix illi alba & magna, altitudine cubitum excedens. Paulus ait, Altheam esse ex genere Maluarum agrestium, uiresque esse illi molliendi, leniendi, refrigerandi, & tumores sedandi. Radix cum semine cicatrices tollunt, & lapidē comminuūt. Galenus addit, radicē coctam uentris profluuia sistere, ob ipsius uim stipticam. Latinum illi nomen Altheæ accreuit, quod uiribus & iuuamentis reliqua Maluarum genera antecellat. Barbarus refert, alicubi Maluas lancearum altitudinem æquare, & arborum, ut in Arabia & Mauritania. Malua alba.

VIRES quas DIOSC. Altheæ adscribit.

Althea in mulsa aqua, aut uino decocta, aut per se tusa, utiliter uulneribus imponitur.

Imponitur & strumis, & secundum aures abscessibus, quas parotidas dicunt. Facit et ad abscessus alios, mam̄arum inflām̄ationes, sedis dolores, contusiones omnes oculorum tumoribus similes, excrescentias & distensiones neruorū. Discutit enim, maturat, erumpit, & ad cicatricē perducit.

Eadem, ut præmonstrauimus, elixa cū suillo, anserinoue adipe, aut therebinthina resina subacta, contra præclusos, inflammatosque mulierum locos, utiliter adponitur.

Præstat idem et decoctum eius, quæ a puerperio naturæ ordine purgandæ sunt matricibus.

Bibitur & cum uino radicis decoctum, prodestque contra urinę angustias, calculos, cruditates, dolores coxendicū, tremores, intestinorum tormina, & rupta.

Colluuntur radices eius in aceto decocto utiliter in dolore dentium.

Exterit uitiligines, & emendat Altheæ semen uiride, succumque tritum, & ex aceto in sole inunctum.

Idem ex oleo inungitur, ad præcauendas omnes quę ictu, aut morsu uenenum relinquuntur iniurias.

Facit ad intestinorum tormina, sanguinis exscreationes, fluores alui, quos Diarrhœas uocant: in quem usum bibitur decoctum eius.

Bibitur præterea in posca, aut uino, contra apium, uesparum, aliorumque uenenatorum ictus.

Folia eius ex exiguo oleo utiliter morsibus & ambustis emplastri modo imponitur.

Altheæ frigidam & humidam assignant naturam.

Reliqua Maluarum GENERA require ex TOMO Primo, folio .197.

¶ DE CEPIS, VEL Bulbo qui edendo est. Teutonice/ Ziblen.

RHAPSODIA LV

PLINIVS multa Bulborum genera. 19. lib. assignat, omnes tamen natura oculos obfuscant. Rubei albis acutiores sunt, sicci magis quam recentes, crudi magis quam cocti.

LOCVS.

Cepe amant loca humida, frigida, & arenosa.

In fumno ædium seruari debent, ubi a fumo contingi possint: quamuis & in frumentorum siliquis commode seruentur.

Satio illorum in Martio, & Aprili est. Cõtraria illis cum sibi similibus plantis natura. nam crescente luna deficiunt: ipsa decrescente, augentur.

COMPLEXIO.

Galenus calidissimam illis naturam assignat ad quartum usq; gradum, cum spissa quadam substantia.

VIRES ET IVVAMEMTA.

Bulbi omnes inflant, & uentositates excitant.

Appetentiam uentriculi roborant, sitim accendunt, & aluum laxant: quapropter uentri non inutiles sunt,

Excoriati, in oleo impositi, si glandis uice supponantur, hæmorrhoidas emendant.

Succus eorum melli permixtus, oculisq; inditus, panos & turbulẽtiam eorum remouet.

Idem unguentum Anginis prodest.

Mulierum retenta menstrua elicit.

Naribus inditum, capiti mundando ualet.

Contra rabidi canis morsum facit emplastrum ex ceparum succo, cum aceto, & melle, uulneri impositum.

Succus aceto permixtus, faciei maculas extergit, in sole inunctus.

Cum spodio illitus, scabiem oculorum sanat.

Inæquales male curatorum uulnerum cicatrices exæquat.

Pedum cutem a calceis defrictam, cum axungia gallinacea plene restituit inunctus.

Alui fluores constipat.

Auribus inditus, dolorem & tinnitum earum leuat.

Fluentem ex auribus saniem compescit.

Defluentes capillos renasci facit.

Nimius eorum usus in cibo, dolores capitis excitat,

Cocti urinas pellunt.

Lethargum concitant in ægritudine nimie comesti.

Contusi cum ficubus, ulceribusq; impositi, digerunt ea, & rumpunt,

De



¶De ALLIO.
Teutonice/ Knoblauch.
RHAPSODIA LVI.

ALLIVM, rusticorum est Theriaca, cibus enim est, & Medicina. Vnum incommodum habens, quod fœtet. Hunc fœtorem Ruta desuper comesta restinguit. Quo plures habet nucleos, eo est acrius. Decoctum, acrimoniam suam perdit & uires, fitque minus efficax.

VIRES ALLII & temperamenta.

Calidæ naturæ est & siccæ in quarto. Acutum est & mordax, uentriculum siccat, sitim excitat, ructus facit, & uentositates dissipat, uentrem aperit, & oculis nocet.

Contra latos uentris lumbricos pollet.

Vrinam promouet.

Venenis resistit, si quis a rabido cane, uel uipera morsus fuerit, ex uino potum, & impositum.

Contra uarietates aquarum utilis est.

Vocem clarificat.

Antiquam tussim crudum & coctum dissipat.

Cum origani succo potum, lendes & pedunculos necat.

Maculas & næuos, scabriciem cutis, scabiem, lepras & porriginem capitis emendat.

Hydropicis utiliter exhibetur.

Multa reperiuntur genera Allij apud rusticæ rei scriptores Palladium, Columellam, & Plinium.

PORRVM.



¶ De PORRO.

Teutonice/ Wylder Lauch.

RHAPSODIA LVII.

PORRVM cum Cepis & Allio eiuſdem naturæ eſt. Olim a Cæſare Nerone celebratum, qui cum rei Muſicę operam dare uellet, Porrum edebat, cui & quicquid laudis acceſſiſſet accæptum ferebat. Et ipſum duorum eſt generum.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Inflatiuum eſt Porrum, malarumq; humiditatū generatiuum, inquietos faciens ſomnos, & inſomnia.

Oculos perturbat. Ventriculo inimicum.

Verum urinam cit, & menſtrua, aluumq; laxat: ueſicæ tamen nocet, & renibus purulentus.

ALLIVM SYLVESTRE.



¶ De AGRESTI ALLIO.

Teutonice/ Wyldér Knob auch.

RHAPSODIA LVIII.

DVO ESSE genera Allij meminerunt & Diosco. & Plinius. Agreste tamen Diosco. non pingit. Plinius uero de quodam refert placidi odoris, capitulisq; teneribus, & folijs magnis. Vrsinum uocat. Pro quo nos herbam exhibemus ex summis Heluetiorum alpibus nobis allatam, folio, radice, odore & sapore Allio respondentem. Nomen illi apud Helуetios Ramseren est: quod inditum lacti, coagulare ipsum dicant. Vocatur & apud quosdam eorum Agreste Allium. Quod si in hoc aberrauimus, libenter monitorem feremus.



❡De CVMINO.

Teutonice/Kümich.

RHAPSODIA LIX.

CVMINI uaria sunt genera. Primum Maius, Fœniculo simile, aromatico odore & sapore. quod uulgo Cuminum Romanũ uocant. Atq; id duorum generum est, Domesticum, & Syluestre, quod Cuminum rusticum uocant.. Alterum Ammi, uel Ameos: paruum id semen est, Cumi nominus, quod & Cuminum Ethiopicum uocatur. Tertium Caros, uel Carui dicitur, uulgo Cuminum Pratense.

COMPLEXIO.

Satiuum Cuminum calefacit, contrahit, et siccat. Alia genera ęque sunt calidæ naturæ.

VIRTVTES ET IVVAMENTA

Ex oleo coctum cum polẽta hordei, superpositumq;, uentris torsiones sedat & tumores.

In uino & aqua, uel aceto & aqua æquis partibus coctum, asthmata relaxat & resoluit.

Ex uino coctum, serpentium ictibus remediatur.

Cum uuis passis emplastri modo impositũ, pudendorum inflationes resoluit.

Ex aceto cõtusum, sanguinis fluxiones e naribus, et menstrua cõpescit,



¶ De RAPISTRO,
Teutonice/Hederich.

RHAPSODIA LX.

RAPISTRVM folia habet albo Carduo similiæ, acutiora tamen, & in medio nigris maculis ut Polypodium signata.

GENVS & FORMA.

Calidum est & siccum in tertio gradu.

VIRES.

Sudores elicit, herba cum radice contusa, si eius dimidia parte Plantago & Polygonon addatur, acetoqꝫ incoquantur, deinde potu uespere & mane exhibeatur.

Peste correptis opitulaẗ, si in tempore cum aceto & theriaca ministreẗ.

Puluere radicis contra febres utuntur: quod infrigidata mēbra refouet.

Herba in uino cocta, scabiem arcet, mane & uespere pota.

De SINAPI.

Teutonice/ Senff.

RHAPSODIA. LXI.

SINAPI olim præstantissimo philosopho Pythagori in magno fuit usu & precio: quod nullũ præterea semen sit, quod æque sursum feratur, & caput purget ut Sinapi: simileq; non haberet, teste Columella, nisi sternutationes cieret, & lachrymas.

TEMPUS COLLECTIONIS.

Colligi debet Sinapi plene maturum, ruffum, non plene siccatũ, quod cum frangitur intus uiride est & succosum.

VIRES ET IUUAMENTA ex DIOSC.

Vis illi est natura calfacere, extenuare, & extrahere.

Commanducatum, pituitas capitis per os ducit & purgat.

Succus eius dulci aquæ miscetur cõtra tonsillas ueteres, duricias, & faucium asperitates utiliter gargarizatur.

Cit sternutamenta, tritum Sinapi naribus admotum, eaq; ratione comicialibus succurrit.

Strangulatum uuluæ procidentis excitat.

Contra lethargum deraso prius capiti illinitur.

Fico mixtum, subactumq; Sinapi, mox impositum, usq; dum cutis cũ cruento rubore exulceretur, coxendicum dolores lenit.

Prodest & lienibus, in uniuersum diutinis doloribus omnibus, in quibus ex alto in summam cutem, ut fit, per alterius partis uexationem trahere aliquid uoluerimus.

Sanat idem capilli defluuia, quas Alopetias dicunt, illitum.

Purgat & faciem. Delet suggillata cum melle, adipe, uel cera.

Ex aceto contra lepras & impetigines feras inungitur.

Bibitur idem contra circulares febres, farinę modo sorbitioni inspsum.

In emplastra utiliter additur, quæ ad extrahendum cõficiuntur, & contra scabiem, cutisq; asperitates omnes.

Aurium grauitatibus, incertisq; earum tinnitibus, & cum fico auribus inditum, medetur.

Prodest Sinapi succus hebetibus oculis, & contra palpebrarum asperitates ex melle inungitur.

De ERVCA, Teutonice, Weisser senff.

RHAPSODIA LXII.

ERVCA album Sinapi est, nigro uirtute calorifica similis, adeo, ut sine damno in usum uenire uix possit, ni Lactuca addatur, a cuius frigore ad tẽperamentum adducatur.

VIRES.

Cruda Eruca in cibo sumpta, uenerem stimulat.

Idem facit semen illius quomodolibet sumptum.

Vrinam cit, uentriq; amica est. Radix in uino cocta, confracta extrahit ossa.

Semen uino incoctum, bibitumq;, contra scorpionum ictus remedio est.

CHEREFOLIVM.



¶ De CHEREFOLIO.

Teutonice/ Kőrbelkraut.

RHAPSODIA LXIII.

CHEREFOLIVM Myrrhis est, Myrrha, & Conila uocata, Cicutæ caule, folijsq; simillima. Radix ei oblonga, mollis, rotunda, cibo non insuauis.

Pandectarius tribuit illi folia minuta sicut folia Fumiterræ, uerum minutiora. Hinc & Apij species est: ut Isaac in Dietis particularibus, cap. de Apio ait.

Columella in Hortorum suorum libro. 10.

Iam breue Cherephyllon torpenti grata palato,
Iam teneris frondens Lactucula fibris.

IVVAMENTA.

Cherephyllon pota in uino, phalangiorum morsibus auxiliatur.

Cit menstrua, urinam, & partus.

Subuenit & phtysicis cocta in sorbitione.

Aiunt quoq;, eandem bis die, terue potam ex uino, in pestilentia salutarem esse, & ne morbi contagia sentiantur, obstare.

PLATINA in Obsonijs suis.

Cherephyllo ignea uis est, & acerrima.

Tritum, & haustum cum uino, lateris dolores mitigat.

Ex aqua mulsa, pituitam resoluit.

Ex aceto, lumbricos, & tineas perimit.

Tritum cum cera & axungia, parotidas soluit.

ABSYNTHIVM.



Wermůt.

DE ABSINTHIO.
Teutonice/ Wermůt.

RHAPSODIA LXIIII.

ABSINTHIVM aliqui Bathypicron, Aegyptij Somi, Romani Absinthium uocant. Herba uulgo cognita. Præstantius in Ponto & Cappadocia in mõte Tauro nascitur, &c. Diosc. libro 3. cap. 25. ubi uires eius ad longum lege.

DE TEMPERAMENTO EX Galeni libro VI.

Absinthium adstrictoriam & amaram, & acrem simul qualitates possidet, excalefaciens pariter, & extergens, & roborans, et desiccans. Proinde biliosos uentris humores per egestionem infernam propellit, ac per urinas euacuat. Magis autem quod in uenis est biliosum, per urinas expurgat. Ob hoc contentam in uentre pituitam nihil adiuuat sumptum. Sic nec si in thorace, aut pulmone contineatur. Nam adstringens in eo facultas quam amara ualentior est. Porro quod insit etiam illi acrimonia, ideirco quoq; maiori portione calidum est, quam frigidum. Succus autem eius longe quam herba ipsa calidior est.

PAVLVS.

Absinthium calidum est in primo ordine, siccum in tertio: acrem, & amaram, adstringentem simul & retinentem facultatem possidet: propter quod & uentre biliosos humores, idq; per secessum & urinam propellit. Succus tamen herba ipsa multo calidior est.

IVVAMENTA ABSINTHII ex Apuleio.

Contra periculum fungorum, herbę Absinthij succum ex aceto bibat. Hoc remedio, uir centenarius euasit, cum esset a fungis tentatus.

Ad humores tollendos, herbam Absinthiũ in aqua et aceto decoctam, & inductam panno impone: si corpus tenerum fuerit, ex melle imponito.

Lumbricis necandis absinthij herbæ, & Marrubij & Lupinorum paria pondera, in aqua mulsa cocta, uel in uino austero, bis, aut ter in umbilico posita, necat lumbricos.

Ad inguinum, uel intertrigenis molestias, herbæ Absinthij & Marrubij surculum sumito, & in semicinctio tecum portato, & sanaberis.



¶De CAVDA EQVINA, siue Equiseto.

Teutonice/ Schaffthaw.

RHAPSODIA LXV.

De NOMINE.

DIOS C. Hippurim uocat, quam nos communiori uocabulo Caudam equinam, uel Equisetum appellamus. Nam ob alias causas, alia & alia sortitur nomina: quemadmodum & Marcellus Vergilius in commentarijs Diosc. testatur. Ab ascendendo enim Anabasim alij qui dixerunt, quod in fossarum faucibus crescit: Charadronon, quod in palustribus: Ephydron, q̃d iuncea illi folia sunt: Schœnostrophon aliqui appellãt: nam ex eiusdẽ folijs, uelutí ex Canabo, aut Lino funes texuntur.

De LOCO ET Forma.

Nascitur locis aquosis & fossis. Coliculos habens inanes, modice rubentes, duros, leuiter asperlos, geniculis inuicẽ insertis distectos, & circa coliculos illos folia Iuncorum similia, densa, gracilia q; . Augetur in altitudinem, propinquos stirpes ascẽdẽs, pendetq; ex illis, circumamplexa multis, nigris q; comis, ceu equina cauda. Radix illi lignosa est & dura. Plinius addit, semen illi esse rotundum Coriandro persimile.

VIRES ET IVVAMENTA.

Pares illi fere uires adscribunt omnes & iuuamenta, ob adstringendi potentiam illi inditam: ob eam causam

Succus illius sanguinis eruptiones ex naribus sistit.

Idem bibitus cum uino, intestinorum tormina emendat.

Eodem modo & urinam retentam elicit.

Folia eius trita, & inspersa, cruenta uulnera glutinant.

Herba & radix pariter tussientibus, recta ceruice spirantibus, & ruptis medentur.

Folia ex aqua pota, intestinorum diuisiones, uesicam distectam, & intestinorum ramices glutinant: & quemadmodum Plinius ait, quę serpunt, cohibent. Galenus asserit, contra rubrum profluuium mulierũ esse præsentaneo remedio.

Est & Hippuris altera apud Diosc. cui caulis rectus, æqualis, cubito maior, & concauus, habens comas per interualla superiore breuiores, candidiores, molliores q; , eadem qua superior potestate prædita.

DE BETA.

Teutonice/ Mangolt.

RHAPSODIA LXVI.

IVXTA Diosc. duplex genus Betæ est. Nigra una, quæ cum lenti bus cocta, aluum efficacissime compescit, eiusq; radicis maxime. Altera candida est, quæ bonam facit aluum. Ambæ mali succi sunt, ob nitrosam earum uim.

COMPLEXIO.

Frigidæ & humidæ complexionis est, abstergendi, infrigidandi, & hu mectandi ui pollens, in omnibus tamen alba nigræ præfertur.

IVVAMENTA.

Succus Betæ naribus instillatur cũ melle, & caput efficacissime purgat.
Radicum, foliorumq; decocto, furfures et lendes capitis absterguntur.
Perniones eodem utiliter fouentur.
Vitiligines, capilli defluuia, & quæ pascendo serpunt ulcera, crudis fo lijs utiliter emplastri modo illinuntur. Verum in uitiliginibus oportet lo cum prius nitro confricasse: in alopetijs autem unguibus scarificasse.
Elixa Beta, sanat papularum eruptiones, ambusta, & sacros ignes.
Arabes medicinam bonam dicunt esse contra Colicam.
Succus illius impetigini illitus eam tollit: ulcera narium curat, & capil lorum defluuia restituit.
Plinius ait uinum in dolio Brassica corrumpi, sed odore Betæ, folijs de mersis, restitui.

DE RVBEA.

Teutonice/ Rőte.

RHAPSODIA LXVII.

De NOMINE.

A RVBORE radicis, quo lanæ & coria tinguntur, factum Ru beæ nomen est: quod & apud Græcos euenisse dubium non est, qui Ery throdanum, uel ut Theophrastus Ereuthodanum, nullo significationis discrimine nominat. Siquidem ἐρυθρόν græci rubrum, ἔρευθος autem rubo rem uocant. Cur autem a Tuscis Lappa minor appelletur, in caussa est, ut Verg. Marcellus inquit, quod uestibus ut Lappa adhæret, quemq; ap prehenderit tenet. Theophrastus tamẽ de ea sic ait. Rubea folio Hederæ, rotundiore tamen consistit. Nascitur humi, caulis modo Graminis, & lo ca amat umbrosa. Hæc ille. Dioscor. descriptio appositissime quadrat Ru beæ, cum hæc Theophrasti δὶς διαπέσων aberret.

GENERA ET SPECIES eius.

Duo ipsius genera Diosc. facit, Sy'uestrem unam, Satiuam alterã: qua lis in Thebana Galileæ, & Rauenna Italiæ nascitur. Coliculos habet qua drangulos, longos, asperos, Aparinæ similes, undiq; tamen maiores, uali dioresq; in quibus folia sunt per interualla in singulis geniculis, stellarum

modo in orbem radiata. Fructum rotundũ a principio uiridem, mox ru=
bentem, postremo cum maturuit nigrum. Radicem habet gracilem, lon=
gam, & rubentem.

LOCVS.

Rubea prouenit locis arenosis, in aruis, et inter olcas, ubi Caris mos est eam serere.

IVVAMENTA.

Diuretica ualde est radix Rubeę, copiosamq; & crassam ducit urinam, adeo ut etiam sanguinem eliciat. Ob id oportet quotidie bibentes in bal= neo lauari, excrementorumq; suorum habere discrimina.

Ex eadem causa suffusis felle, cum mulsa aqua utiliter bibitur, coxendi= cis doloribus itidem & resolutis.

Foliorum, radicisq; succus, uiperarum morsibus potus succurrit.

Semen in aceto mulso potum, lienem discutit.

Radix adposita foetus, secundas, & menses trahit.

Sanat eadem uitiligines albas, ex aceto emplastri modo imposita.

Plinius addit, hoc frutice Regium morbum sanari, etiam si ad alligatas spectetur tantum.

Iohannes Vigonius ait. In percussione et offensione, atq; in uulneribus pectoris, gratia purgandi cum confortatione summopere ualet.

Auerrois ait. Rubea tinctorum calida est in secundo, & sicca in tertio gradu: ideo, quia est composita ex substantia terrestri adusta, & frigida, et significat hoc sua amaritudo cum ponticitate. Operationes suæ secundæ & tertiæ, habent aperire opilationem splenis & epans, prouocare urinam & sanguinem, menstruum: & possibile est, ut faciat mingere sanguinem. Abstergit temperate, & ideo ualet tineæ, quando distemperatur cum ace= to, & superponitur. Et quidam dant bibere sciaticis cum hydromelle.

¶De

¶ De LAVREOLA.
Teutonice/ Bellerohalß.

RHAPSODIA. LXVIII.

De NOMINE.

LAVREOLAE a similitudine foliorum Lauri, quę illi similia habet, molliora tamen, ualidioraq́ꝫ, nomen est inditū. Græci Daphnoiden, Eupetalon, Peplion, uel cum Romanis Chamædaphnem appellant.

FORMA.

Cubitalis frutex est, Ramulos habens multos, a medio in superiorem partem iunceo lentore flexiles: in quibus, ut diximus, folia Lauro similia, mollia, nec tamen facile fragilia. Flores illi sunt candidi: fructus cum maturuit niger, et radix inutilis.

COMPLEXIO.

Calida est admodum & sicca, erodente & feruido, ut Diosc. inquit in ore & faucibus sapore.

LOCVS.

Nascitur montanis & syluestribus locis, estq́ꝫ eius magna uis, passim per syluam Herciniam.

VIRES ET IVVAMENTA ex DIOSC.

Folia eius recentia, siccataue pota, per inferna pituitam educunt.
Eadem uomitiones & menses ciunt.
Manducata etiam pituitas oris purgant.
Sternutamenta eadem prouocant.
Semen eius sedecim grana epota, purgant.

¶ De THYMELAEA, uel Cocco Cnidio:
Teu onice/ Bellerohalß.

RHAPSODIA LXIX.

De NOMINE.

SVNT qui Thymelæam Chamęlæan, Pyrosachnen, Cneſtron, uel Cneoron uocent. Græci tamen cum Romanis constanter Thymelæam uocant. Syri Apolinon, uel Linon: quod natiuo Lino sit similis.

FORMA.

Frutex ille speciosas ex se mittit uirgas graciles, bicubitalesq́ꝫ. Folia Chamęlææ similia habet, angustiora tamen & pinguiora: quæ comesta, gummosa, glutinosaq́ꝫ sentiuntur. Flores illi candidi sunt, in quibus semē paruum Mirto simile, rotundum: principio uiride, mox rubens, foris nigrum, durumq́ꝫ, & intus candidum. Hoc Coccon Cnidium uocant.

COMPLEXIO.

Mesue calidum & siccum ponit in quarto gradu. Natura uehementer erodens est, epati, interaneisq́ꝫ omnibus inimicum.

LOCVS.

Diosc. nasci ait locis montanis & asperis.

VIRES ET IVVAMENTA.

Viginti granorum seminis medulla epota, bilem & aquas per inferna purgat. uerum quia fauces exurit, in pane, pulteue danda est, aut acino uuæ inclusæ, aut decocto melle inuoluta.

Quibus ægre sudores euocantur, eo trito unguntur, additis Nitro & aceto.

Folia acetabuli pondere in uino diluto pota, aquas corporis purgant: quod mitius faciunt, si lenti, aut concisis oleribus concoquantur.

Fœminis pro pessulo apposita, fœtus in utero enecant.

Plinius de Cocco Cnidio paucis agit, cum dicit. Cocco Cnidio color Cocci, magnitudo granorum piperis, maior uis ardens. Itaque in pane deuoratur, ne adurat cum gulam transit. Huic uis præsentanea contra Cicutam. Sistit aluum. Hæc Plinius lib. 27. cap. 9. Libro tamen. 13. cap. 21. eodē modo quo supra a Dioscor. descripta est, pingit.

Arabes & Officinæ barbarorum Mezereon uocant: quod a Cenoro uitiatum esse non est dubium.

De APARINE.
Teutonice/ Klebkraut.

RHAPSODIA LXX.

De NOMINE.

COMMVNE Romanis cum Græcis Aparine nomen sortitā est: uerum ob seminis figuram, qua umbilicum hominis repræsentat, Omphalocarpon aliqui uocant. Ac rursus alij Viscum: quod ad similitudinē uisci sese prætereuntium uestibus adglutinet. Ob similitudinem etiam stipitis & foliorum, qua Rubeæ conformis est, Rubea minor nonnunquā appellatur.

Omphalocarpos.

FORMA.

Ramulos habet Aparine multos, paruos, quadrangulos, & hirsutos: in quibus folia per ambitum ex interuallo ramulis circumponuntur, Rubeæ modo. Flores illi candidi sunt. Semen autem durum, album, rotundum, figura umbilici in medio concauum, & ut Plinius ait, subdulce: herba tenaci nexu uestibus prætereuntium adhærescit.

LOCVS.

Nascitur iuxta Plinij sententiā, in frumentario agro, aut hortis, pratisue. Quamquam apud nos potissimum locis incultis, & circa sepes prouenit.

IVVAMENTA.

Drachma seminis eius ex uino pota, contra serpentes & phalangia efficax est.

Sanguinis abundantiam ex uulneribus imprimunt folia imposita.

Succus ex semine, caulibus, & folijs expressus, utiliter in dolore auribus infunditur.

Herba cum axungia coacta, strumas discutit imposita.

De

¶De BRANCA VRSINA.
Teutonice/ Bärenklaw.

RHAPSODIA LXXI.

De NOMINE.

TORSIT nos aliquandiu communis, & passim omnibus officinis recepta herba, quam ob foliorum configurationem Brancam ursinam appellarunt: uerum eximius rei medicæ doctor Io. Mainardus, hunc nobis scrupum exemit: qui post longam indagationem eam esse dephrehendit, quæ a Græcis Acantha uocatur, a nonnullis uero a serpendo Herpacantha, a nigro foliorum colore Melanphyllon. Acantham topiariam, Mamolariam, & Crepidam, a Romanis Pæderotem uocari, autor est Dioscorides.

GENERA & SPECIES eius.

Plinius naturalis historię lib. 22. cap. 22. huius herbę sic meminit. Acanthos est topiaria & urbana herba, elato, longoque folio, crepidines marginum, adsurgentiumque puluinorū toros uestiens. Duo eius genera sunt. Aculeatum & crispum, quod breuius. Alterum lene, quod aliqui Pæderoton uocant, alij Melanphyllum. Hactenus ille.

L O C V S.

Vbique gentium reperies Brancam ursinam in pratis, & hortis, petrosisque, et humentibus locis: uerum iuxta regionum naturam, alicubi altiorem emittit caulem.

FORMA ex DIOSC.

Folia habet multo quam Lactucæ latiora, longioraque, Erucæ modo incisuris diuisa, nigrescentia, & cum molli leuore pinguia. Idem in caule leuor, quem altitudine duorum cubitorum erigit, crassitudine digitali, per interualla sub ipsum usque uerticem, foliolis quibusdam oblongis, ueluti nucamentis aculeatis uestitum, ex quibus candidus prodit flos. Semen illi est oblongum & luteum, capitulum thyrsi figura. Radices lentore molles, mucosæ, longæ, rubentesque.

VIRES ET IVVAMENTA.

Radices luxatis & ambustis, emplastri modo impositæ, medentur.

Eædem potæ, urinam pellunt, aluum sistunt, tabidis, ruptis, conuulsisque præterea sunt utiles.

Plinius addit, pthysin metuentibus, cibo, maxime ptisana incoctas prodesse.

Podagrisque calidis tritas, calefactasque imponi iubet.

CROCUS.



¶ DE CROCO.

Teutonice/ Saffron.

RHAPSODIA. LXXII.

De NOMINE.

CROCUS Gręcis, Latinisq́ dictus, ab aliquibus tamen Castor, aut Cynomorphus appellatur. Sunt etiam qui ob ruborem ipsius Herculis sanguinem uocent.

ELECTIO.

Magno consensu autores Cilico Croco, & ibi Corycio monte primas deferunt. Secundam bonitatem meretur Lycius, qui ex Olympo monte adfertur. Tertiā laudem habet Aetolicus, ex urbe Aegis apportatus. Reliquarum gentium ignauior est. Thessalus quondā afferebat, bonitate odoris tantum commendari Crocum. Reperitur & in Germania probatus

apud

apud Austriacos. Varijs modis adulteratur, sed probatur qui friabilis et tactui non tam lente concedit.

FORMA.

Herbam habet folio angusto, pene in capillamenti modum. Floret uergiliarum occasu paucis diebus, folioque florem expellit. Carnosa illi radix, uiuaciorque quam cæteris.

LOCVS.

Gaudet calcari et atteri pedibus, pereundoque melius prouenit: ut autor est Plinius. Ideo iuxta semitas ac fontes lætissime prouenit.

COMPLEXIO.

Calidum esse Crocum & siccũ, magnus consensus est. Ob id & secundario maturat, mollit, & leniter adstringit.

VIRES ET IVVAMENTA

Omnium iudicio prouocat urinam Crocus, arcetque crapulã cum passo potus.

Contra oculorũ destillationes ex humano lacte ut sistentur inungitur.

Miscetur unguentis quibus ad sedis, et muliebriũ locorũ uitia utuntur.

Veneri excitandæ utilissimum putant.

Sacris ignibus inungitur, & inflammationes eorum lenit.

Arabes mulieribus in partu laborantibus exhibent, ut citius pariant.

Crocus uino impositus, uehementer inebriat.

Stomachum eo roborari, cibumque digeri, epati prodesse, nocere cerebro & appetentiæ uentriculi, urinam prouocare, & colorem corporis meliorare, autor est Mesue.

CARTAMVS.



Wylder Saffron.

De CARTAMO.

Teutonice/ Wylder Saffron.

RHAPSODIA LXXIII.

De NOMINE.

CARTAMVS a Græcis Cnicos uocatur, quod et multi Latinorum affirmant: quamuis & Attractilida Plin. uocari asserat. uerum apud Germanos Agrestem Crocum uocari, passim audimus.

FORMA.

Cartamus folia habet oblonga, incisuris diuisa, aspera, aculeataq;. Caulem habet cubitalem, in quo capitula aculeata sunt, florem croco similem gestantia. Semen illius candidum est, subruffum, angulosum, et oblongũ.

GENERA ET SPECIES eius.

Duo ipsius genera adnotauit Plinius. Syluestre, & satiuum. Syluestris rursus duæ sunt species. Vna mitior est, simili caule, tamen rigido: quo colu antiquæ mulieres utebantur. Semen illius candidũ est, grande, & amarum. Altera hirsutior, torosiore caule, & quę pene humi serpat, minutu semine.

COMPLEXIO.

Temperate calefacit & exiccat. Galenus tamen ad gradum usq; secundum calefacere affirmat, discutiendiq; uim illi tribuit.

IVVAMENTA.

Herba Cartami magnum contra uenenata animalia præbet auxilium. Item & contra fungos.

A scorpione percussus, quamdiu eam teneat herbam, cruciatum nõ sentire, affirmat Plinius.

Succus Cartami ex aqua dulci, uel iure gallinatei potus, aluũ commode purgat.

Cartami seminis succus, lac coagulat: quod ad soluendam aluum efficaciter facit.

Rasis ait, genitale semen eo augeri: stomacho tamen esse inutile.

Agrestis cum aceto tritus, et illitus, impetiginem delere, ulceraq; linguarum exterere, autor est Mesue.

Eodem autore, adustos humores, & grossos efficaciter purgat.



¶De GENISTIS.

Teutonice/ Pfrymmen.

RHAPSODIA. LXXIIII.

Dubitat Plinius, an ea sit Genista, quam Diosc. & reliqui Græcorum scriptores Sparton dixerunt: quoniam & ipse uinculorum uice, alligandis uitibus natura uidentur comparatę. Frutex est duris, & breuibus urgis, quę ex natiuo lentore frangi uix possunt, constans. Florem Leucoio, id est, Violæ albæ similem habens: ex quo tandem siliquæ phaseolorum instar prodeunt, in quibus semen Lentis forma est.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Puluis florũ & seminis ex aqua mulsa quinq; obolorum pondere potus, ueratri modo per superna citra periculum purgat.

Seminis drachma una & dimidia ex aqua mulsa pota, flegmata per inferna ducit.

Rami cum folijs in aceto macerantur diebus aliquot: deinde succus exprimitur, qui cyathi mensura potus, ischiadicis mire subuenit.

Sunt tamen qui ea marina aqua macerant, atq; ita per clisterem infundunt, ad intestinorum ramenta trahenda.

Idem succus Ischiadicis utiliter illinitur.

Aliqui utuntur semine ad stranguriam soluendam.

Genistæ cum axungia tusæ, genua dolentia si illita fuerint, sanant.

Plinius indicat Genistis etiam tingi uestes.

Idem in Asia ex Genistis fieri retia piscatoria, quæ & durabilia sunt, asserit.

Genistæ floribus primus honor deferebatur in coronamentis.

¶De RHABARBARO.

Teutonice/ Rheubarber.

RHAPSODIA LXXV.

Magna inter doctos nostræ ætatis de Rhabarbaro controuersia est, dum quilibet id alio & alio nomine donare contendit. Inter quos postremus fere tempore, eruditione tamen facile princeps, Ioannes Mainardus Ferrariensis, omnium placita scrutatus, plane diuersum a nostro q́d nunc in usu est, affirmat esse illud, quod a Plinio ac Diosc. describitur. Pręterea Galeno, & eo uetustioribus medicis prorsus incognitum fuisse: id quod illis uitio uerti non debet. neq; enim omnia possumus omnes scire. Rhabarbarũ Galeno incognitum. Hoc plane constat, innocentissimum esse pharmacum, corporiq; humano accommodatissimum, adeo, ut promiscue pueris & senioribus tuto exhiberi possit. Sunt qui iam contendant & apud nos prouenire, nimirum feminę a mercatoribus ex barbaris petito: quod licet persæpe uiderimus, radicemq; & gustu & olfactu tentauerimus, uero Rhabarbaro q́d a Bosphoro affertur respondentem, tamen an eisdem uiribus polleat in humoribus nocuis (potissimũ bile) euacuandis, necdũ plene didicimus. Constat

hæc

RHABARBARVM.



Rheubarb.

hæc herba folio & fœmine Rumicis: unde & inter Rumices aliqui numerant, quæ & ipsæ ciendis ijsdem humoribus sunt aptissimæ. Nos ut nō temere diffinimus, de hoc ut & in alijs controuersiam hanc dirimendam eruditioribus relinquimus, contenti, uires eius scrutari: quod leui impendio quotidie habere possumus. Est enim amphibion (ut ita dicam) adstrictoria, & solutiua ui præditum. De quo Mainardus lib. 6. epist. 2. sic ait. Ipsum namque, ut plæraque alia, utraque ui pollet, adstrictoria uidelicet, et purgatoria. Ex Ioannis Mesue, & Auerrois, ac recentiorum omnium autoritate, ipsaque experientia didicimus, Rheum Barbarum inter medicinas bilem, pituitamque expurgantes, esse pereximium, adeoque ab hijs nocumentis quæ secum reliqua cathartica afferre consueuerunt immune, ut pueris, prægnantibus, cæterisque imbecillioribus tuto exhibeatur. Esse autem iocineri con gruentissimum, non solum hij, sed & Plin. & Diosc. Galenus que testantur. Et paulo post. Dioscor. febrientibus cum melicrato, infebrientibus cum œnomelite, phtisicis cum passo, stomachicis masticatū exhibet. Plinius pro uarietate morborum, modo in uino, modo in aqua, modo in passo. Cōmunis usus medicorum habet, ut uel formet in catapotia, uel cum aquis arnoglossi in intestinorum difficultate, uel deuoluto apij, uel intybi in febribus bibatur. Nos pro morborū uarietate patiens, temperatura, consuetudine, ætate, atque id genus cætera, modo huic, modo il li rei miscemus, prout tamen conducere arbitramur: ut nihil perpetuum habentes, ita a maiorum uestigijs ratione ac experimento non discedentes. Hæc Mainardus.

De TEMPERAMENTO eius.

Galenus. Mixtæ est temperaturæ: habet enim quid terreum, frigidumque quod ex adstringente eius sapore demonstratur: & caloris aliquid, quem, ubi multum masticatum fuerit, acredine quadam ostendit: tenuis & aereæ potestatis esse participem, laxitas & leuitas declarant.

IVVAMENTA.

Multipharios eius usus ex Diosc. licet accipere ait enim. Facit potum ad stomachi inflationes, infirmitates, dolores omnes, conuulsa, rupta, lienosos, iocinerosos, renum cum urinæ malo aliquo dolores, tormina, pectoris uesicæque uitia. Præcordiorū item distensiones, & muliebrium locorum uitia, coxendicū dolores iticum, cruenta sputa, suspiria, singultus, intestinorum tormina, cœliacos, circularium febrium ambitus, & uenenatorum morsus. Datur Agarico similiter in singulis prædictis morbis eodem pondere, in ijsdem liquoribus, cum mulso ubi febris absit, in febre cum mulsa aqua, tabidis in passo, lienosis cum aceto mulso, non cor ientibus cibum in stomacho, qualē est commanducatum et potum, nullo super poto liquore Emendat Rhapontic m liuores, impetiginesque ex aceto inunctum. Discutit idem diutinas inflammationes omnes, ex aqua illitum Est autē illi maxima & præcipua uis adstringendi cum calore aliquo. Hactenus Diosc.

Suadet Mainardu . pro uice una non plus duabus drachmis dari debere: alioqui sitientibus exitio futurum.

O

¶De DICTAMO.
Teutonice/ Diptam.

RHAPSODIA LXXIIII.
De NOMINE.

Multis nominibus olim Dictamus est donatus. Vocatur enim & Agreste Pulegium, Embactron, Dorcidion, & Elbunion. Romani olim Rusticam Vstilaginem uocabant. Communiori tamen uocabulo Dictamus hodie dicitur ab omnibus.

GENERA & SPECIES eius.

Tria Diosc. Dictami genera facit, quorum duo Cretæ sunt propria, tertium pluribus nascens locis, reliquis tamen utribus impar. Folio Pulegij sunt, aut Sisimbrij. Omnibus est feruẽs et acer gustus. Nec flos illi est, nec semen, nec caulis. Radix illi tenuis est & superuacua.

LOCVS.

In Creta nascitur non admodum grandis, mireq; a capris expetitur. Asperis locis ponssimum prouenit, cultisq; & pinguibus agris peioratur. Pseudodictamus tamen multis terris nascitur, sed multo minori efficacia. Prima dignitas eius qui in Creta nascitur: sequens eius qui in Parnaso.

COMPLEXIO.

Calet Dictamus & siccat in tertio ordine: quo fit, ut modis omnibus sit uenenis aduersarius.

VIRES ET IVVAMENTA.

Dictamus potus, appositus, & suffitus, ex utero mortuos pellit partus.
Ferunt eius herbæ cibo, tela, cuspidesq; omnes ex corpore decidere.
Succus eius tritus cum polenta, & inunctus, uim purgatiuam habet.
Illita tantum herba, infixos surculos e corpore trahit.
Facitq; ad lienis dolorem minuendum.
Calefacit in gustu radix eius, puerperiaq; adiuuat.
Succus Dictami cũ uino potus, uenenatorum morsibus succurrit. Estq; tanta herbæ uis, ut olfactu ea fuget, admotaq; enecet omnia quæ uenenum ictu, morsuue relinquunt.
Strangurias discutere Dictamum certum est, autor Plinius.
Idem ait. Præcipua uis Dictamo est. Menses enim cit, partus emortuos, uel transuersos eijcit.
Idem. Dictami folia præclare dantur ex aqua. Constat enim uniusobolii pondere, uel si mortui sint in utero infantes, protinus reddi sine uexatione puerperæ.

¶De PYRETHRO.
Teutonice/ Bertram.

RHAPSODIA LXXV.
De NOMINE.

Multa nomina quæ Pyrethro accreuerunt, ab ignea il'ius potentia demanarunt. uocatur enim Pyrethrum, Pyritrum, Pyrotum, & Pyrites,

rites, quæ omnia acrimoniam illius & igneam uim demonstrant. Alias etiam Dorycnium, & herba saliuaris a Romanis nominatur: quod astatim comesta, saliuam eliciat.

FORMA.

Agrestis Dauci, Fœniculiue modo caulem & folia ex se profert. Vmbellam Anetho similem, & rotundam. Radicem pollicis crassitudine, longam, sapore maxime feruido.

COMPLEXIO.

Pyrethrum ad quartum usque gradum calet, atque siccum est. Eliciendæ pituitæ uis illi magna.

GENERA ET SPECIES eius.

Si decocto illius ex aceto dentes colluantur, præsenter dolorem eorum, qui ex frigida pituita est, leuat: quoniam pituitam exspuere facit.

Inunguntur sudaturi ex oleo in quo Pyrethrum maduerit.

Idem est utile ad diuturnos in accessionibus febrium cum tremore algores.

Opitulatur etiã corporibus quæ frigore perfrixerunt, & iam torpent.

Eodem modo & resolutis accomodatum est, & comicialibus.

Auerrois ait, solam uenire radicem in usum, atque unicam habere uim ustiuam.

Rasis ait, & pustulis oris esse congruum.

ORIGANVM.



De ORIGANO.

Teutonice/ Wolgemüt.

RHAPSODIA LXXVI.

ORIGANI apud Diosc. plura inueniuntur genera: sed folia quibus omnia depingit, & umbellæ plane Origano nostro non respondent. Theophrastus in duo genera contraxit. Nigrum, quod sterile creat: &

Candidum, quod semine fœcundum asserit. Doctis igitur committimus discutiendum, cui nam generi nostrum Origanum adaptare uelint. Vocatur genus unum Heracleoticum, aliud Onitis, aliud syluestre Origanũ, & aliud Tragoriganum. Primum tamen cæteris præstantius arbitrantur, quod Romani Cunilam, & Origanum uocant.

LOCVS.

Nascitur locis incultis, præstantiamq; a regionibus sumit.

COMPLEXIO.

Calidum est & siccum in tertio gradu, habetq; uim dissoluendi, consumendi, & attrahendi.

VIRES ET IVVAMENTA.

Multas in medicina habere uirtutes, Plinius asserit, quodq; sit eius cõmunis usus, serpentes fugare.

Percussis e sui dare decoctum.

Potu urinam ciere.

Ruptis & conuulsis mederi, cum panacis radice.

Hydropicis cum fico, aut cum Hyssopo, acetabuli mensura, decoctum ad sextam.

Item scabiem, pruriginem, & psoras in descensione balnearum.

Succus auribus infunditur cum lacte mulieris, ut dolorem earũ leuet.

Tonsillis quoq;, & uuis medetur, capitisq; ulceribus.

Venena opij & gypsi extinguit decoctũ, si cum cinere & uino bibatur.

Aluum mollit, acetabuli mensura.

Suggillatis illinitur.

Item dentium dolori: quibus etiam candorem facit, cum melle & nitro.

Sanguinem narium sistit.

Ad parotidas decoquitur cum hordeacea farina.

Ad arterias asperas cum galla & melle teritur.

Ad lienem, folia cum melle & sale.

Crassiores pituitas & nigras extenuat, coctum cum aceto & sale, sumptum paulatim.

Regio morbo, tritum cum oleo, naribus infunditur.

Epinyctidas cum pice sanat.

Furunculos aperit cum fico tritum.

Strumas, cum oleo & aceto & farina hordeacea.

Lateris dolores, cum fico illitum.

Fluxiones sanguinis in genitalibus, tusum ex aceto, & illitum.

Reliquias purgationum a partu emundat. Hactenus Plinius.

Io. Vigonius. Origanum mixtum cum chamomilla, meliloto, anetho, & matricaria, atq; in sacculo uentri impositum, frigidos dolores mitigat.

Contusum cũ rosis, calamo aromatico, & absynthio, exitui ani ex frigida causa, calide impositum medetur, atq; ad locum reducit.

De

¶ De GENTIANA.

Teutonice/ Enian.

RHAPSODIA. LXXVII.

De NOMINE.

GENTIVS rex Illyriorum, Gentianã, cuius uires ipse primus ostendit, a se ita uocatam reliquit, Græcisq; & Latinis hoc nomine ipsam notam effecit. Sunt tamen qui eam per uarias orbis nationes, alio & alio subinde donauerũt nomine. Vocatur itaq; & Centaurea radix, Aloes gallica: a torpore suo Narce, Chironia, Cicendia, Aloitis, et Ciminalis herba.

LOCVS.

Nascitur in editis montium uerticibus, & ut Plinius ait, Montibus subalpinis plurima, locis umbrosis & aquosis.

FORMA.

Mox a radice profert folia Iuglandi nuci, aut Lactucæ similia, colore rubescentia, & in summo incisuris diuisa. Grandi & concauo caule est, qui leuore nitet, digitali crassitudine, duos cubitos alto, intersecto geniculis, magnis interuallis folia proferens. Semen habet latum, leue, glumosum, figura spondilij. Radicem longam, crassam, & amaram.

Plinius ita pingit. Gentiana folio Fraxini est, sed magnitudine Lactucæ, caule tenero pollicis crassitudine, cauo & inani, ex interuallis foliato, trium aliquando cubitorum: radice lenta, subnigra, sine odore, aquosa.

COMPLEXIO.

Diosc. Radici adscribit calefaciẽdi adstringendiq; uim, uenenis & prægnantibus inimica.

IVVAMENTA.

Contra uenenatorum morsus bibuntur radicis drachmæ duæ, cum pipere, ruta & uino. Succus drachmæ pondere, contra lateris dolores, ex alto casus, rupta, conuulsaq; bibitur. Idem iocinerosis, et qui cibũ in stomacho nõ continent, utiliter cũ aqua bibitur. Collyrium radicis eius fœminis subditum, fœtus ex utero pellit. Lycij loco ulceribus imponitur. Succus cuniculosis uulneribus inditus, remedio est.

Inflãmationes oculorum illitus mitigat. Radix uitiligines exterit.

Modus colligẽdi succi hic est. Tusa radix, diebus q̃nq; in aqua madet: eadẽ postmodũ aqua coqtur dũ radices superstent: gelata aqua per colum trajicit, atq; ad mellis spissitudinem excoquit̃ picato postea uase, repositus seruatur. Tussientibus Gentiana tribus obolis pota medetur.

Farina Gentianæ ex aqua tepida fabæ magnitudine pota, interaneorũ uitijs occurrit. Theriacę loco uenit contra uenenatorũ morsus. succus, uel puluis Gentianæ admixtus theriacæ magnę, cum modico Diptami & Tormentil'æ sumptus. Arabes antidotum conficiunt ex puluere radicis Gentianę drachma una, & myrrhæ una, cancrorum fluuiatilũ adusto rũ duabus: q̃d exhibi debet a rabido cane morso, priusq̃ aqua timeatur.

Rasis ait. Gentiana calida existens puncturæ scorpionis, ac epati frigido, splenis quoq; opilationi atq; tumori congrua existit.

De THYMO
Teutonice/ Thymian.

RHAPSODIA LXXVIII.
De NOMINE.

LEGITIMVM Thymo nomen esse, nemo inficiabitur, qui illi hoc unum cõstare per tam diuersas linguas didicerit. Launi enim, Græci, & Galli, reliquæq; nationes plures, hoc nomine illum salutant.

GENERA ET SPECIES eius.

Theophrastus duo Thymi facit genera, Album, et Nigrum. Vterq; tamen exiguus humi fere sparsus surculus est, paruis, et angustioribus folijs contectus, in summo circa solstitium æstiuum purpureos proferens flosculos: qui si ab imbre incessuntur, pereunt. Sparguntur illi flores, atq; uice seminis, quod in Thymo nullum inuenitur, esse perhibentur.

LOCVS.

Petrosis & sterilibus locis maxime prouenit, eoq; lætius, si a uento marino perflari possit. Negat Theophrastus illic nasci ac perdurare posse, quo flatus e mari nequeat peruenire. Id quod illi uideri potuit. uidetur enim iam lætissime prouenire etiam incultis milibus a mari. Plinius tamen hoc tantum Thymo, qui ex Attica alio transplantatur, euenire docet, q̃d nisi iuxta mare uberius proueniat. Nullam enim inuenies herbam in Narbonensi Gallia frequentiorem locis siccissimis & arduis. Colligi debet Thymus cum floret, atq; in umbra seruari, et exiccari. Præferturq; Candidum Nigro ubiq;.

COMPLEXIO.

Galenus temperamento calido esse affirmat ad tertium usq; gradum, in quo & siccat: unde illi uirtus incisiua resultat.

VIRES ET IVVAMENTA

Vtraq; claritati oculorum multum conferre existimant, & in cibo, & in medicamentis sumpta.

Diutinæ tussis exscreationes facit leues, si cũ sale & aceto in eclegmate fuerit sumpta. Si lateralis dolor sit, aut inter scapulas, & in thorace, aut præcordijs, medetur cum melle ex aceto: quod & in alienatione mentis dari potest, et melancholicis.

Comicialibus etiam datur, quos correptos excitat olfactus Thymi: quibus etiam aiunt maxime prodesse, si in Thymo molli obdormiscant.

Prodest & orthopnoicis, asthmaticis, & retardatis mulierũ mensibus.

Ejicit etiam emortuos in utero partus, decoctũ eius ad tertias in aqua.

Viris prodest contra inflationes, cum melle & aceto, etiam si uenter & testes, aut si uesicæ dolor id exigat.

Cum aceto impositum, callos & uerrucas amolitur.

Coxendicibus imponitur cum aceto.

Articularibus morbis datur, trium obolorum pondere, in tribus cyathis aceti & mellis. Est & in fastidio tritum cum sale præsidio.

De ABROTONO.
Teutonice/ Stabwurtz.
RHAPSODIA LXXIX.

Historia ABROTONI ex DIOSC. lib. 3.

ABROTONVM duorum generum est. Fœmina quadam ar boris specie fruticans, candicat, circũ ramulos folijs Seriphi mo= do minutim incisis. Floribus referta est, comantibus in summo fulgore au n corymbis. Quod per æstatem prodijt, suauiter olet, cum grauitate qua= dam, & amaro gustu. Id genus Siculum esse constat. Alterum Mas uocat, sarmentosum, tenui semine uti Absynthium. Plurimum in Cappadocia gignitur, & Galatia Asiatica, atq; in Syriæ Hierapoli.

PLATINA lib. 3. de OBSONIIS.

Abrotonon iucundi odoris, ac grauis herba est. Dicunt hoc nomẽ ab Abrotono fœmina, in herbam conuersa, sumptũ. Flos eius aurei coloris est, sponte prouenit, & in cacumine suo seipsum propagat. Seritur autem semine melius, quam radice & surculo. Et semine non sine negocio plan= taria transferuntur. Læditur nimio sole, uerũ ubi ex temperie conualuit, uitium ritu fructificat.

VIRES ET IVVAMENTA ex DIOSC.

Crudum semen tritum & seru efactũ ex aqua, in potu auxiliatur ortho= pnoicis, conuulsis, ruptis, coxendicibus, urinæ angustijs, mensibus sup= pressis aut remorantibus.

In uino potum, exitialium uenenorum remedium est.

Rigoribus ex oleo illinitur. Serpentes, & substratu, & nidore fugat.

Contra ictus eorum cum uino potum prodest.

Priuatim quoq; efficax contra scorpionum & phalangiorum uenena.

Oculorũ inflãmationibus comode illinit, cũ cotoneo cocto, aut pane.

Tritum cum farina hordeacea, decoctumq; tubercula discutit.

Irini compositionibus admiscetur.

Ex PLINIO.

Vsus est folijs, sed maior semine ad calefaciendum: ideo neruis utile, tussi, orthopnoicis, conuulsis, ruptis, lumbis, urinę angustijs.

Datur bibendũ manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes, & ex his quaternis cyathis bibitur.

Datur & semen tusum in aqua 3.1. pondere. Prodest & uuluæ.

Coquitur panis cum farina hordeacea, & oculorũ inflammationibus illinit, cotoneo malo cocto. Serpentes fugat. Contra ictus earum bibitur cum uino, illiniturq;. Efficacissimũ contra ea, quorũ ueneno tre mores & frigus accidunt, ut scorpionum & phalangiorũ, & contra uene= na alia pota. Prodest & quoq; modo algentibus, & ad extrahenda ea quæ inhærent corporibus. Pellũt & interaneorũ mala rami eius, si sub= ijciantur puluino. Venerem stimulare aiunt, efficacissimamq; esse her= bam contra omnia ueneficia, a quibus coitus inhibeatur.

De HYSSOPO.

Teutonice/ Hysop.

RHAPSODIA LXXX.

EANDEM herbam Græci cum Latinis Hyssopum agnoscunt, nec in aliquo dissentiunt.

GENERA & SPECIES eius.

Duo genera Hyssopi autores assignant, Hortense unum, alterum Montanum et agreste: probatissimumq; e Cilicia ex Thauro monte adferri. Sequitur hoc in bonitate Pamphilium, & Smyrneum.

COMPLEXIO.

Hyssopus calidum & siccum habet temperamentum, extenuatq; competenter.

VIRTUTES ET IUVAMENTA.

Decoctum illius ex aqua cum fico, melle, & ruta, pulmonarijs, suspiriosis, antiquæ tussi, a capite in subiectas partes destillationibus, asthmaticis, & orthopnoicis opitulatur.

Necat idem uentris lumbricos omnes: quod etiam cum melle lincta præstat.

Crassos corporis humores per aluum purgat, decoctum eius cum aceto mulso potum. Deijcit etiam cum fico uiridi comestum, multoq; efficacius additis Nasturtio, Iride, aut Irione.

Facit & cutis splendidum colorem.

Contra lienem, & cutem subeuntes aquas cum fico, nitroq; emplastri modo imponitur. Cum uino autem contra inflammationes.

Suggillata ex feruenti aqua eodem modo imposita emendat.

In anginis cum ficorum decocto utiliter gargarizatur.

Colluuntur præsenti remedio, decocto Hyssopi cum aceto in dolore dentes.

Incensum, uaporis suffitu soluit inflationes aurium.

Phthyriasi etiam & prurigini capitis contritum in oleo resistit.

Putatur etiam serpentium ictibus aduersari, tritum cum melle, sale, & cumino.

Hyssopi quinq; rami, cũ duobus rutæ, et ficus tribus decoctis, thoracẽ purgant.

De AGRESTI HYSSOPO.

Teutonice/ Wylder Hysop/ Birch Hysop.

RHAPSODIA LXXXVI.

De NOMINE.

QUOD apud nos Agreste Hyssopum dicitur, Græcis Thymbra est, Latinis Cunila, uel Satureia Herba omnibus nota, tenui & aspero folio nascens. Spicam ferens floribus refertam Easdẽ cum Thymo uires habet Satureia, eodemq; modo sumitur: præterq; medicinam habet etiam in sanitate suum, & non ingratum usum. Nascitur & satiua, sed agresti uiribus prorsus impar.

Plinius lib. 19. cap. 8. Thymbra, quæ & Cunila, hæc apud nos habet uocabulũ aliud, Satureia dicta in condimẽtario genere. Seritur mense Februario, Origani æmula Nusq; utrumq; addit: quippe similis effectus. Sed Cunilæ Aegyptium Origanum tantum præfertur.

Galenus eum alijs quibusdam, calidam & siccam in tertio gradu faciunt, resolutiuam & diureticam.

Proprietas illi est, uentositates, inflationes, torsionesq; discutere. Ventriculi digestiuam adiuuat, urinã & menstrua prouocat, uisumq; ex humore superfluo exacuit.

Cum sit emplastrum de ea contrita cum frumento, dolorem coxendicũ leuat.

PYCNOCOMOS.



Gyſſvart.

De PYCNOCOMO.

Teutonice/ Geyßzbart.

RHAPSODIA LXXXII.

PYCNOCOMO Plinius Erucæ folia, crassiora tamen & acriora, radicem rotundam, lutei coloris terram olentem, caulem quadrangulum, florem Ozimi, modicum, tenuemque scribit: quæ tandem omnia Dioscor. consona sunt, nisi quod Porri semen addit, ac petrosis nasci locis.

VIRES ET IVVAMENTA

Semen Pycnocomi drachmæ pondere in uino sumptum, turbulenta somnia facit.


Idem discutit tumores, si cum polenta emplastri modo impositum fuerit.

Infixa præterea corpori, ut cuspides, & surculos, extrahit.

Folia emplastri modo imposita, furunculos, panosque discutiunt.

Radix ex mulsa aqua duarum drachmarum pondere pota, aluum a bile exonerat, pituitamque exinanit.

LYCHNIS AGRIA.



Kornblůmen.

De LYCHNIDE AGRESTI.

Teutonice / Kornblůmen.

RHAPSODIA LXXXIII.

VARIA nomina sortita est Lychnis agrestis. Tragonaton enim, Atrociam, Hieracopodium, & Lampada, aut etiam Intybum agrestem ait uocari Diosc. Plinius Antirrhinon, uel Anarrhinon. Lino similis herba est, radice fere carens: flore Hiacynthi, ex quo semen uituli naris simile. Dioscor. tamen satiuæ Lychnidi similem facit.

IUVAMENTA.

Magicum quid Plinius huic semini adscribit. ait enim, hoc perunctos uenustiores fieri: nec ullo malo medicamēto lędi posse, aut ueneno, si quis in brachiali habeat.

Diosc. affirmat semen potum per inferna bilem trahere.

Scorpionum ictibus remediari, admotacq; illis herba torpidos, atq; inefficaces ad nocendum fieri.

Qui flores hosce, qui per segetes, & inter coronarias herbas hortorum uisuntur, cæruleo, albo, aut purpureo colore, Lychnidem agriam uocāt, ijs suum concedimus iudicium, necdum tamen per omnia persuasi.

SION.



DE SIO.

Teutonice/ Bachbuñ.

RHAPSODIA LXXXIIII.

SION, quod in aquis eſt, aliqui aquatilem Anagallida, alij Darenion, alij Lauer, alij Schinon aromaticũ uocant. In aquis inuenitur, frutice pingui, recto. Folijs latis, Holuſatro ſimilibus, ſed minoribus, & odoratis.

VIRES EIVS.

Cruda, uel cocta hæc herba, eſu calculos rumpit atq; excernit.

Vrinam cit.

Menſes & partus extrahit.

Diſyntericis in cibo auxiliatur.

An uero Lauer ſit, aut Darenion hoc Sion, an item Iuncus odoratus Cyperi, uiderint doctiores, & conferant Plinium lib. 28. cap. 8. cum Dioſc. lib. 2. cap. 181.

MILLEFOLIVM IN SEMINE.



Garb im somen.

Millefolium album.



Weiſſe Garb.

De MILLEFOLIO.

Teutonice/ Garb.

RHAPS. LXXXIII.

MILLEFOLIVM, a multitudine foliorum nomen habet. Coliculus ilus illi tener ac rubens eſt, Fœniculi folijs, pēnarum inſtar ueſtitus, acſi natura arte quadam expoliuiſset. Paluſtribus naſcitur locis, conferc͡to more uerno tempore cum primis ebulliens.

VIRES.

Magnifici uſus ad uulnerum inflammationes ſedandas.

Cum aceto potum, cōtra urinę ac ueſicæ difficultates prodeſt.

Eodem modo ſuſpiriosis, atq; etiā ex alto præcipitatis utiliter exhibetur.

Millefolio cum axungia contrito, boum neruos uomere abſciſsos, ſolidari affirmat Plinius.

P 2

Millefolium paruum.



Kleyne Garb.

PASTINACA, Beſtenau.



¶ De PASTINACA.

Teutonice/ Bestenaw.

RHAPSODIA LXXXVI.

STAPHYLINOS græce dicitur, quam nos Pastinacam appellamus. Eam alij Cerascomim, Babibyron, aut Sycham nominauerunt.

GENERA ET SPECIES eius.

Plinius duo eius genera facit cap. 5. lib. 19. suæ naturalis historiæ. Agreste unum, quod sponte prouenit. Alterum seritur aut radice, aut semine, idque primo uere, uel autumno, ut Hygino placet, Februario, Augusto, Septembri, aut Octobri, solo quam altissime refosso. Annicula utilis esse incipit, Bima utilior, gratior Autumno, patinisque maxime. Hæc Plinius. Agrestis uero in usum medicinæ uere cedit, quæ folia Gingidij habet, maiora & amara. Caulem rectum & asperum, & in summo umbellam Anetho similem, in qua flores rubicundum quid in medio habentes. Radix illius crassitudine digitali est, dodrantali longitudine, odorata, quæ & ipsa edendo est, si rite cocta fuerit.

LOCVS.

Nascitur in apricis pratis uberior, quamuis & alijs locis incultis reperiatur.

COMPLEXIO.

Auerrois calidam & siccam facit, habentemque uirtutem subtiliandi: in qua Agrestis potentior est domestica, uel satiua.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Folia Pastinacæ corrosiuis uulnerib. imposita, sanare ea dicit Auerrois.

Semen domesticæ contritum, & bibitũ, ueneris emortuæ uires reparat.

Syluestris autem semen, potenter menstrua & urinam prouocat.

Hydropicis & pleuriticis idem præsenti remedio est.

Valet etiam contra uenenatorum animalium morsus, ictusue, cum axungia.

Non tangi a uenenoso animali ferunt, qui semen eius præsumpserint.

Conceptus idem adiuuat.

Sed radix mulieri supposita, fœtus ex utero trahit.

Plinius asserit, Dieucen dedisse contra iecinoris ac lienis, ilium, lumborum & renum uitia ex aqua mulsa.

Cleophontus disyntericis ueteribus.


Philistion radicis uncias quatuor in lacte coquit, et stranguria eo sanat.

Hydropicis, opisthotonis, pleuriticis, & comicialib. ex aqua porrigit.

Folia contra cruditates manduntur.

Satiuæ semen contra scorpionum ictus salutare est, potum cum uino, aut posca.

Circumscalpti dentes radice eius, a dolore liberantur.



Anethum.
Dyll.

¶ De ANETHO.
Teutonice/ Dyllen.
RHAPSODIA LXXXVII.

De NOMINE.

ANETHVM uulgo holitoribus cognitum est, & culinarijs: a quibusdam Anicetum uocatũ: uerum Latini cum Græcis in nomine conueniunt. Herba hortensis, ad usus condimentariorum, & medicinæ nota.

COMPLEXIO.

Galenus Anetho calefaciendi ac siccandi uires attribuit. Deinde resoluendi ac maturandi, doloremq; sedandi, & somnum prouocandi.

VIRTVTES ET IUVAMENTA.

Decoctum Anethi lac mulieribus subministrat.

Tormina & inflationes finit.

Aluum cit, singultus lenit, uomitionesq; ex alto sistit, oculorum claritati officit, & genituram continue potum extinguit.

Cinis cremati Anethi condilomata illitus tollit.

Singultus cohibet semen feruens olfactum.

Sumptum ex aqua, cruditates sedat.

Cinis eius uuam in faucibus leuat.

Saniosis pudendorum ulceribus, tritum utiliter inspergitur.

Torsiones, uentositates, & inflationes discutit.

In sedando aurium dolorem præcipua est medicina.

Anethinum oleum, et oleum amygdalarum amararum mixta, tinnitũ, & uentositatem aurium sanat.

Mirandum medicamen ex eius oleo, & oleo de uitellis ouorum, & uiolaceo cum butyro liquato, si porcelliones cum modico uini granatorũ incocti fuerint ad uini consumptionem, ad auriũ dolorem sedandũ elicitur.

Est tamen Anethum stomacho inconueniens: quia nauseam facit, Rasis testimonio.

ASPARAGVS.



Spargen.

De ASPARAGO.

Teutonice/ Spargen.

RHAPSODIA LXXXVIII.

De NOMINE.

Adganeam maxime Asparagi petuntur, estq; omnium hortensium eorum cura laudatissima. De his Plinius accurate scripsit naturalis historiæ suę lib. 19. cap. 8. ubi & modum conserendi, plantandiq; ex Catone de re Rustica perdocet.

GENERA, & Species.

Duo sunt genera Asparagorū, Hortense unum, Agreste alterū, quod & Corrudam nominat Plinius.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Hortensis Asparagi cibus, stomacho utilissimus est.

Si illis cuminum fuerit additum, inflationes stomachi, coliq; discutit.

Ventrem leuiter molliunt.

Pectoris & spinæ doloribus, intestinorumq; uitijs prosunt.

Ad renum & lumborum dolorem, ex uino cum parte cumini triū obolorum pondere bibitur.

Venerem stimulant, urinamq; cient: utilissime tñ uesicā exulcerant.

Radix trita, & in uino albo pota, calculos quoq; exturbat: lumborum item & renum dolores sedat.

Ad uuluæ dolorem cum uino dulci utiliter bibitur.

Eadem cum aceto decocta, contra elephantiam prodest.

Negant ab apibus pungi, perunctos Asparago trito cum oleo.

Agrestis Asparagi uis maior est ad prædicta omnia, inter easq; candidiori longe maior.

Regium morbum extenuat.

Bibitur decoctum eius cum aqua, ad Venerem excitandam.

Ad idem ualet semen eorum cum anetho tritum, ternis utrumq; oboli is datum.

Succus eorum decoctus, ad serpentium ictus bibitur.

Si sanguis per urinam reddatur, iubet Chrysippus dari semen Asparagi, Apij, & Cumini, ternis obolis in uini cyathi duobus.

Sic etiam hydropicis prodesse ait, quamuis urinam moueat.

Vesicæ quoq; prodest in aqua elixum.

Canes eo comesto moriuntur.

Succus radicis in uino decoctus, si ore contineatur, dentium dolorem auertit.



CANABIS.

Hanff

De CANABE.
Teutonice/ Hanff.
RHAPSODIA LXXXIX.

DVO genera Canabis sunt iuxta Dioscoridem, Satiuum unum, Agreste alterum. Græci Satiuum & Schœnostrophon dicunt: quod texendis funibus radix eius sit aptissima. Ingrati odoris est, stuporem quendam in eo cubantibus afferens. Agrestis nigrioribus & hirsutioribus est folijs.

COMPLEXIO.

Canabis natura calida est & sicca in tertio, ob id uentositatum & inflationum resolutiua est.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Semen Canabis uberius potum, genituram uirorũ extinguere dicitur.

Succus eius in dolore auribus inditus, dolorem tollit, uermes necat, & quicquid inciderit ejcit, sed non sine capitis dolore.

Idem aquæ infusus, coagulare eam dicitur.

Canabis folia iumentis in aqua pota, aluum eorum emollit.

Radix cocta in aqua, dolentibusq; articulis imposita, dolorem illorum leuat: ob id & podagricorum impetus compescit.

Ambustis cruda illinitur: sæpiusq; mutatur, ne arescat.



BETONICA ALBA.

Weiſſz Betonien.

BETONICAM hanc Albam, quæ & uera ſpecies alterius Betonicæ eſt, inuentu rariſſimam, præcipue in Germania, primus omniũ nobis oſtendit Hieronymus Tragus, uir in Herbarũ indagatione ſtudioſiſſ. quam & ex Horto ſuo ad nos dedit. Eſt autem priori in omnibus, præterquam quod ſit flore albo, ſimilis: quam Tomo. I. fol. 89. deſcripſimus: cui ſupponas. Fatemur & in hoc libere errorem noſtrum, qui communiorem ſectati Medicorum opinionem, pro ea Paralyſim herbam fol. 97. perperam ſubſcripſimus.

ARBVSTA VARIA.



DE SAMBVCO.
Teut. Holder.

RHAPSODIA LXXXIII.

DE NOMINE ET GENERE.

ANTEQVAM ad arborescentia arbusta ueniremus, de Ebulo, quod genus Sambuci est, egimus: nunc de ea dicendum, quæ ar= borescit, quam aliqui satiuam Acten, aut Sambucum uocant. Hæc uirgas habet harundinum modo longas, rotundas, cauas, & albescentes. Folia iuglandi nuci similia, maioribus tamē incisuris diuisa. In apicibus circin= natas gestat umbellas, floribus albicantibus, fructu Therebyntho simili, racemoso, uinosiq; gustus. Sup, fol. 33

LOCVS.

Crescit Sambucus ubiq;, locis cultis, & incultis, ex ipsis maceriis & muris progrediens. Sepium tamen ut plurimū est fulcimentum. In mon= tibus non reperitur.

COMPLEXIO.

Sambucus natura siccat, adstringit, & refrigerat: ob id aquā hydropi= corum e corpore pellit. Stomacho inutilis est.

VIRES ET IVVAMENTA.

Vtriusq; Sambuci folia ueteri uino incocta, iusq; illius ad duos cya= thos epotum, stomacho quidem inutile est, sed aluum ab aqua exonerat.

Recentem ambustionem trita & imposita, refrigerat.

Mollissima folia super morsu rabidi canis illita cum polenta, dolorem sedat, & uenenum extrahit.

Succus cerebri collectiones, & meningarum, quæ circa cerebrum sunt infusus, lenit.

Acini acetabuli mensura poti, urinam mouent.

Folia cum adhuc tenera sunt, ex oleo & sale eduntur, ad pituitam, bilemque detrahendam.

Eadem contrita cum Helleboro & Oxymelle squillitico, serpigini, impetigini, & morpheæ imposita, eas sanant.

Derasus cortex radicis, si per noctem in uino maduerit, decolatumque uinum fuerit epotum, uomitum prouocat, & uentrem a malis humoribus eneruat.

Aqua florum Sambuci utiliter hydropicis bibitur.

Radix in uino cocta, subeuntes cutem aquas euacuat.

DE IVNIPERO.
Teut. Wechholder.
RHAPSODIA LXXXIIII.

ἀρκευθὶς μικρὰ.

NON paruam cum Cedris Iuniperus affinitatē habet: eiusque duo sunt genera. Minus, quod aliqui Arceuthis, diminutiua forma uocant, quasi dicant Iuniperulum: quod semper inter fruteta humilis permaneat. Alterum Maius, quod in iustam arboris magnitudinem exurgit, cupresso non absimilem. Folia habet utraque Iuniperus spinosa, & acria. Baccas ferunt mirtillorum forma, quæ biennio in ramis pendent, antequam maturescunt.

LOCVS.

Amant Iuniperi loca maritima, & arentia, suntque prorsus campestres, & ægre in hortis ac locis cultis proueniunt.

COMPLEXIO.

Grana Iuniperi, quorum primarius in medicina usus est, calidæ sunt temperaturæ, & siccæ in secundo gradu. Conglutinant uulnera, & confortant.

VIRES ET IVVAMENTA.

Vrinæ eliciendæ utraque Iuniperus est accommodata.

Suffitu suo eorum serpentes fugat, & alia uenenosa.

Conuulsis, ruptis, & muliebriū locorū strangulationibus medentur.

Granorū decoctum, ad tussim, inflationes, tormina, & uenenata facit.

Oleum ex granis elicitum, confortat loca neruosa, resoluendo.

Aduersus artheticam, chyragram, podagram, & sciaticam ex frigida causa, ualet.

Lib. 24. cap. 8.

Plinius de Iuniperis ita scribit. Iuniperus uel ante cætera omnia excalfacit, extenuat, Cedro assimilis. Eius duo sunt genera. Altera maior, altera minor. Vtraque accensa serpentes fugat. Semen, stomachi, pectoris, lateris doloribus utile. Inflationes, languoresque discutit, tusses concoquit, & duricias. Illitum tumores sistit. Item aluum, baccis ex uino nigro potis. Item uentris tumores illitu. Miscetur & antidotis oxyporis. Vrinas cit. Illinitur & ocu-

& oculorũ epiphoris. Datur conuulsis, ruptis, torminibus, uuluis, ischiadicis cum uino albo potum cum pillulis quaternis, aut decocti uiginti in uino. Sunt & qui corpus purgant e semine eius, in serpentium metu.

Auerrois ait. Iuniperus prouocat urinam & menstrua fortius alia re, adeo, ut faciat mingere sanguinem. Aborsum facit, & mortuum fœtum educit.

¶ De BERBERI, id est, Spina acuta.

Teutonice/ Saurauch.

RHAPSODIA LXXXV.

De NOMINE.

A Sapore acetoso Græci huic plantæ nomen indidere, Oxyacantham nominantes: uuam alij Pyrinem, aut Pyrianthen appellarunt.

FORMA.

Oxyacantha, uel Berberis, piro syluestri similis est arbor, uerũ minor, magisque spinosa: fructum fert rubicundum, oblongum, per septembrem ac octobrem menses campis decorum. Radix illi alta & multifida.

COMPLEXIO.

Berberis fructus frigidus est & siccus in secundo gradu, stypticus ualde, & uirtutis incisuæ: ob id omnes fluxiones cohibet.

Fructus Berberis comestus, abscindit fluxus antiquos, & humores a matrice defluentes.

Radix illius trita & imposita, infixas carni sagittas & spinas extrahit.

Fructus sitim compescit, stomachumque & hepar confortat a calore patientes.

¶ De VITE VINIFERA.

Teutonice/ Weinreben.

RHAPSODIA LXXXVI.

VITIS nomen quam pluribus apud Diosc. plantis est cõmune. Vocãt enim aliam Vitem albam, aliam Vitem nigram, aliam Vitem agrestem. Eam uero de qua iam scribere intendimus, Ampelon œnophoron, id est, Vitem uiniferam appellat.

GENERA ET SPECIES.

Innumera Vitium reperiuntur genera, ex quibus diuersorum colorũ & saporum uina conficiuntur. de quibus Plinius studiosissime lib. 15. suo naturalis Historiæ differuit: eo studiosos ablegamus: cum nostra non referat Vitium genera, insitiones, & curas, sed medicinas persequi. Neque etiam uiui iam uinum proprietatemque ostendemus, sed tantum ipsius Vitis, & quæ eam uestiunt foliorum & flagellorum.

VIRES & Iuuamenta VITIS.

Pampini teneriores cũ folijs contrit, capitis dolorẽ mitigant impositi.

Cum polenta uero mixti, corporis inflammationes tollunt.

Sola folia ex aqua frigida, stomachi ardorem compescunt: quod & articularibus morbis præstant cum polenta hordeacea imposita.

Tumores omnes tollunt pampini triti & impositi.

Succus eorum tormina uentris emendat.

Lachryma, uel gum̃i Vitiũ, lepras, lichenas et psoras nitro p̃litas sanat.

Eadem psilothri uim habet, sæpius cum oleo capillis illita.

Idẽ facit aqua quã uirides accensę exudãt uites: qua et uerrucę tollunť.

Mire item aqua hæc uisum clarificat, oculis indita.

Pampinorum succus, sanguinem exscreantibus, & mulieribus a conceptu nauseantibus prodest potus.

Cortex Vitiũ, et folia eorũ arida, cruẽta uulnera sistũt, eaq; cõglutinãt.

Succus Vitis albæ contritæ thuri mixtus, impetigines illitus tollit.

Cinis sarmentorum et uinaceorum, condilomata, & reliqua sedis uitia ex aceto illitus emendat.

Idem luxata et ambusta, lienisq; tumores cum rosaceo, ruta, et aceto impositus sanat.

Idem sacro igni ex uino inspergitur: eo modo et intertrigines & pilos absumit.

Ad lienis uitia datur cinis sarmentorum aceto conspersus, in uino potandus, ita tamen, ut lienosus in lienem iaceat.

Clauiculæ quibus uites repunt, contritæ, utiliter ex aqua contra uomitiones continuas bibuntur.

Cinis uitium cum axungia ueteri, contra tumores utilis est: fistulas idẽ purgat, omnesq; dolores neruorum ex frigore ortos sanat.

Contractiones & contusiones, scorpionumq; et rabidorum canum plagas ex oleo sanat.

Excrescentes carnes, cum nitro & aceto, ab ossibus tollit.

Solius corticis cinis, pilos reddit.

Vuæ florem si in cibis ederint gallinacei, uuas non attingunt.

Sarmenta in quibus acini fuerunt, & nuclei acinorum, præcipuam adstringendi uim obtinent.

Nuclei tosti, tritiq;, stomacho utiles sunt.

Farina illorum pota, disyntericos, & cœliacos sanat: quod & decoctũ eorum facit.

Omphatium. Agreste.

Ex uuis agrestis Vitis expressus succus, Omphatium dicitur, uel Agresta, uulgo Agresƺ. Hic ulcera quæ humidis locis fiunt, sanat, ut sunt oris & genitalium ulcera.

Oculorum claritati maxime prodest, infusus.

Idem scabriciei genarũ, ulceribus angulorũ, nubeculis, ulceribus quacunq; parte manantibus, cicatricibus marcidis, et ossibus purulente lienosis opitulatur.

Flos Vitis agrestis Oenanthe dicitur, ex alba uite refrigerat & adstringit, uulneribus inspergitur, stomacho illinitur. Vtilis urinæ, iocinori, capitis doloribus, disyntericis, cœliacis, & cholericis.

Oboli pondere ex aceto contra fastidia bibitur.

Eadem siccat manantia capitis ulcera.

Est & ipsa efficax ad uiua quæ in humidis sunt locis, quapropter oris ulceribus, sedis, ac uerendarum parnum uitia sanat.

Cum melle & croco sumptus, aluum sistit.

Genarum scabiem emendat, & oculorum lachrymas.

Ex uino potus, stomachi dissolutionem reparat.

Ex aqua frigida, sanguinis exscreationes.

Cinis eius ad collyria, & ulcera purganda, paronychia, & pterygia probatur. Vritur in furno dum panis percoquatur.

De SENTE CANIS.
Teutonice/ Butten.

RHAPSODIA LXXXVII.

CYNOSBATON, aut Oxyacantha uocant Græci, quam nos Sentem canis uocamus. Frutex est maior Rubo, & arborescit etiam. Folia habens Myrto latiora. Spinas in uirgis durissimas. Florem candidum, & fructum oblongũ, cum maturuit rubicantem, lanuginosis acinis refertũ.

VIRES ET IVVAMENTA.

Fructus caninæ Sentis siccatus, uinoq; incoctus & potus, alui fluores sistit. A lanugine tamen cauendum: quia faucibus & arteriæ nocet.

Ex floribus odorem rosarum imitantibus distillatur aqua, quæ ut aliarum rosarum ad calores restinguendos utilis est.

Plinius aliã Sentẽ canis, uel Cynosbaton describit lib. 24. cap. 14. prorsus ab hac diuersam: de qua alias sub Rubi nomine multa.

De LIGVSTRO.
Teutonice/ Hartryegel.

RHAPSODIA LXXXVIII.

NISI opinione fallar, Ligustrum ea est planta, quam Officinæ & uulgus Medicorum Frazilionem, Germani Hartryegel uocant, Cypron Græci nominant. Oleæ similia habens folia, latiora tamen & molliora, uiridioraq;. Flores habet candidos, odoratos, ex quo fructũ nigrum Sambuco similem producit.

VIRES ET IVVAMENTA.

Folia adstrictoriam uim habent: eamq; ob causam cõmanducata, oris ulceribus, feruidisq; alijs collectionibus & carbunculis illita opitulantur.

Ambusta utiliter eorum decocto fouentur.

Concisa, et succo Lanariæ herbæ conspersa, in unctos capillos ruffant.

Concisus flos, & ex aceto fronti illitus, capitis dolores sedat.

Ex floribus fit unguentum quod Ligustrinum uocant: illius compositionem uide apud Diosc. lib. 1. cap. 125.

Succus plantæ neruis, & articulorum doloribus ex algore caussatis, prodest impositus.

Folia uetustis ulceribus cũ modico salis, & oris exulcerationib. ∴ psunt.

Acini contra phthyriasim & intertrigines ualent.
Sanant & gallinaceorum pituitas.
Aqua ex floribus eius distillata, omnia faucium incommoda extergit.

De PRVNO SYLVESTRI.

Teutonice/ Schlehen.

RHAPSODIA LXXXIX.

SYLVESTREM Prunum passim per campos iuxta uias acsepes uidere est, grato cum floret odore.

VIRES ET IVVAMENTA.

Stipant uehementer Pruna sylvestria, damascenisq; fere similes habent uires cum maturi exiccantur.

Contra destillationes, tonsillas, gingiuas purulentas, & procidentem uuam utiliter decocto illorum gargarizatur.

In sapa cocta utiliora, stomacho redduntur, aluumque uehementius stringunt.

Gummi Prunorum sylvestriũ uesicæ calculos cum uino potũ frangit.
Idem impetiginibus puerorum ex aceto utiliter inungitur.

De RVBO.

Teutonice/ Brombeeren.

RHAPSODIA XC.

De NOMINE.

MORA illa quæ pastoribus & eorum pueris grata sunt, Rubum uulgo cõmendant, ob id multis nominibus est donatus a ueteribus. Græci Baton, aut Cynosbaton uocant: alij Selinortion, Asyntrophon, aut Ametron: Latini uero Sentem, uel Rubum, aut Mora Vaticana.

FORMA ET LOCVS.

RVBVM nemini ignotũ arbitramur, qui modo pedem extra cunabula mouerit. ubiq; enim uestibus prætereuntium sese affigit, remoramq; uiatoribus inijcit. Folia habet uarijs incisuris diuisa, nigricantia ab uno latere, alio candent: uirgas habens undiq; diris aculeis uestitas. Florem fert album: unde fructus Moro persimilis exit, minor tamen est.

COMPLEXIO.

Tota huius plantæ substantia frigida est, siccandiq; et adstringendi ui prædita.

VIRES ET IVVAMENTA.

Decoctum ramorum eius in aqua, capillos denigrat.
Aluum fluentem si bibatur, sistit.
Muliebres fluctiones cohibet.
Presteris morsibus prodest.
Gingiuas confirmat, & oris ulcera folia commanducata sanant.
Eadem compescunt quæ Herpetas uocant.
Manantia capitis ulcera, & procidentes oculos curant.
Condilomata, & Hæmorrhoidas emplastri modo imposita, sanant.

Vom...um

Vomitum concisa & imposita stringunt.

Succus e folijs, caulibusq; expressus, deinde in sole siccatus, efficacius prædictis medetur.

Mororum Bati cum maturuerint succus, ad oris incommoda utilis est.

In media maturitate sumptus, aluum lubricam compescit.

Idem facit flos eius in uino potus.

Flos, aut mora, scorpionũ uulnera sine collectione sanant & glutinant.

Vrinam eadem ciunt.

Cardiacis contrita folia a mamma sinistra utiliter imponuntur.

Decoctum eorum ex uino, calculorum præsentaneum est remedium.

Cymæ commanducatæ, labantes dentes confirmant.

Cinis crematorum, uuam prociduam reprimit.

Folia siccata & tusa, iumentorum ulceribus medentur.

Inter stipantia medicamina nullum præstantius, quam si radix Rubi in uino coquatur ad tertias, indeq; oris ulcera, & sedis foueantur: tantaq;, ut Plinius ait, illi uis est, ut spongiæ ipsæ lapidescant.

¶ Hucusq; de Arbustis, quæ saltem usui sunt rei Medicæ.



¶ De CVCVRBITA.

Teutonice/ Kürbß.

RHAPSODIA XCI.

GRAECI Colocynthon, uocant nostram Cucurbitam quæ passim per rura omnibus nota est, prouenitq; per æstatis calores, regionibus calidis gratus cibus.

COMPLEXIO.

Frigida & humida est omnis Cucurbita satiua ad gradum secundum.

VIRES ET IUVAMENTA.

Cruda, concisaq; Cucurbita, emplastriq; mō imposita, tumores et abscessus lenit.
Ramenta eius utiliter oculorū inflãmationibus, et podagris calidis imponuntur.
Expressus Cucurbitæ succus, aurium doloribus medetur, eoq; euidentius, si cum rosaceo instilletur.
Summa corporis superficies utiliter eo in febrium ardoribus illinitur.
Succus elixæ Cucurbitæ, exiguo melle ac nitro additis, aluum leniter soluit.
Itidem facit uinū per noctē in cauata cucurbita sub die seruatū, & ieiune potum.
Mira de Cucurbitis, & earum cura apud Plinium & reliquos rei rusticæ scriptores inuenies.
Semina Cucurbitarum ardori renum & urinæ, trita, et ex aqua pota, subueniunt.

¶ De AGRESTI CVCVRBITA.

Teutonice/ Coloquint.

RHAPSODIA XCII.

EST ET syluestris Cucurbita Colocynthis, aut amara Cucurbita uocata, quæ uiticulas & folia satiuo Cucumeri similia habet, per terrā serpentia. Fructus orbiculatus ad pilæ paruæ magnitudinem, uehementer amarus: qui cum pallere incipit, decerpi & colligi debet.
Est autem Cucurbitæ persimilis, nisi quod illi flos sit albus, huic croceus.

COMPLEXIO.

Colocynthis sicca est et calida, grossum flegma de corpore educit, neruosisq; ęgritudinibus opitulatur.

VIRES ET IUVAMENTA.

Pulpa Colocynthidos quatuor obolorum pondere, cum mulsa aqua epota, additis exiguo nitro & myrrha, commodissime crudos humores euacuat.
Siccati fructus clisteribus utiliter miscentur contra coxendices, resoluta, & coli dolores. Idem aliquando pituitam, bilem, strigmentaq; cruenta trahunt.
Fœminis adpositi, fœtus in utero necant.
Acetum cum nitro in exenterata Coloquintide feruefactum, ad dolorem dentium prodest, si os ex eo colluatur.
Aqua mulsa, passumue eodem modo incoctum, & sub die per noctem refrigeratum, & epotum, crassiora strigmenta purgabit.
Sedi etiam balani ex ea subijciuntur, ad euocanda alui excrementa.
Virentis Coloquintidis succus, contra coxendicum dolores utiliter confricatur.
Semina contra regium morbū utiliter sumuntur, si mox aqua mulsa desuper potata fuerit.
Radix utiliter drachmæ pondere, contra scorpionum ictus bibitur.

¶ De CVCVMERE satiuo. i. Cucumeren.

RHAPSODIA XCIII.

PERMVLTA inuenies naturę opera, in quibus eiusdem generis & nominis

& nominis diuersas edidit naturas. Idem & in Cucumere hoc facit, ubi satiuum præbet, qui dulcis & edendo est. Rursus agrestem, quo nihil amarius & ad cibum ineptius, uerum ad medicinæ usus satiuo præstantiorem. Caules habet Cucumis longissimos, geniculatos, & per terram repentes. Pingui gaudet solo, locisq; apricis uberior prouenit. Poma uel fructus oblongos, tuberosos, & aliquatenus gippinosos habet.

COMPLEXIO.

Cucumeres calefaciunt & humectant in secundo, suntq; abstersiui. Substantiam habent grossam, coctioni uentriculi repugnantẽ, chylumq; corruptibilem generant, malarum & putridarum febrium fomitem.

VIRES ET IVVAMENTA.

Aestate Cucumeres cum sale ex aceto et oleo contra calores eduntur, & ad aluum citandam: estq; stomacho & uesicæ utilis satiuus.

Olfactu, defectus animi restituit.

Semen ciendæ urinæ uim habet.

Idem cum lacte, aut passo, contra uesicæ ulcerationes bibitur.

Folia ex uino imposita, rabidorum canum morsibus medentur.

Ex melle, epinyctidas emendant.

De CVCVMERE Agresti, siue Asinino.

RHAPSODIA XCIIII.

AGRESTIS Cucumis satiuo multo est minor, hirsutiorq;, & spinosior. Asperis & incultis locis, per campos latissime folia sua spargens. Fructus eius iuglandis nucis cũ suo putamine magnitudinẽ non excedit.

De ELATERIO.

Ex Cucumere agresti medicamentum quod Elaterion uocant, conficitur, succo e semine expresso. Huius confectionem et usum apud alios legere potes. Plinius de eo scribit lib. 20. cap. 1. Dioscorides lib. 4. cap. 139. Plantæ tantum medicinas hic pe sequi intendimus.

VIRES ET IVVAMENTA.

Succus foliorum utiliter dolentibus instillatur auribus.

Radix cum polenta imposita, ueteres tumores discutit.

Eadem cum therebynthina resina imposita, panos rumpit.

Podagras etiam discutit in aceto elixa & imposita.

Decoctum eius ischiadicis per clisterem utiliter infunditur.

Pari utilitate eo dolentes colluuntur dentes.

Sicca, tritaq;, uitiligines, lepras, & impetigines exterit.

Nigras cicatrices, uultusq; maculas repurgat.

Eiusdem succus sequioboli portione datus, cum corticis quarta acetabuli parte, pituitam purgat, & bilem, maxime hydropicorum, absq; tamẽ stomachi læsione.

Est & genus aliud Citrinorum, Cucumerum, quod Officinæ Citrolũ uel Citrullũ nominant, cuius semen tm̃ ad usũ medicinæ uenit. Reliqua inutilis, frigidior cucumere est, & peioris succi, ob id et stomacho cõtrarius.

DE MELONE.

Teut. Melaun.

RHAPSODIA XCV.

MELO cum maturuerit, subtilis substantiæ efficitur, cũ crassior sit immaturus. Varia ipsius sunt genera, nec eundẽ gustum, aut odorẽ referentia.

COMPLEXIO.

Sunt & ipsi frigidi & humidi ex ordine secundo, incidentis & abstergentis naturę: quapropter smigmatib. permiscetur triti seminis farina, ad cutẽ corporis eluendam. Radix & semen siccata, in numero siccantium censentur, absterguntq; magis.

LOCVS.

Nascuntur & ipsi bene cultis locis, eoq; lętius, si subinde sarriantur, & rigentur. Amant tamen aprica loca, & sole irradiata. Cum annus est pluuiosus, & nubilus, Melones non æque, ut in siccis annis proueniunt.

VIRES ET IVVAMENTA.

Cum eduntur bene maturi, urinæ sunt prouocatiui.

Si emplastri modo caro Melonis imponitur, calida oculorum apostemata curat.

Cortex capiti infantis superpositus, calida cerebri apostemata emendat.

Si pulpa cum semine commiscentur cum farina, & in sole trochisci siccentur, ad extergendas speciosarum mulierum facies commodissima sentietur.

Puluis siccæ radicis drachmæ pondere ex aqua mulsa potus a prandio, leuiter euomere facit.

DE PEPONIBVS.

RHAPSODIA XCVI.

EIVSDEM cum Melonibus generis Pepones sunt, nisi q; hij in longum excrescũt. Melopepones uocati, cum ad malorũ figuram in rotundũ creuerũt.

Per omnia easdem cum Melonibus habẽt uires in caloribus restinguendis, & sordiciebus eluendis.

DE CITRO, quod Citrinat uocant.

RHAPSODIA XCVII.

DE NOMINE.

VARIA hoc pomum nomina est sortitũ. Dicitur enim Medicum, Persicum, aut Citromalum Communiter Citrium, uel Citrum. In arbore crescit toto anno fœcunda, quæ semper cũ maturis, immatura gestat poma, & flores. Oblongum est, rugosum, colore ad aurum inclinato, odore graui. Semen eius pirorum simile est. Folium arboris Vnedonis est, intercurrentibus spinis.

COMPLEXIO.

Cortex & semina calida sunt, & sicca in secundo gradu: pulpa, & acetosum hoc, quod medio pomi plęrunq; innatat, frigida sunt, & siccant.

VIRES ET IVVAMENTA.

Cortex Citri comestus, halitum oris commendat.

Pulpa superfluum stomachi calorem extinguit.

Acetositas impetigini illita, eam exterit, & sanat.

Decocta cardiacę confert, appetentiam cibi excitat, choleram discutit, uomitum & uentris profluuia sistit.

Epatis calorem extinguit, tristiciamq; ex melancholicis fumis euenientẽ aufert.

Verum pulmoni & neruis aduersatur.

Semen potum, uenenis resistit.

Pregnantiũ fastidia tollit, scriniisq; conditũ, uestes a tynearum erosione tuetur.

De Squilla

DE SQVILLA.

Teut. Mörzwybel.

RHAPSODIA XCVIII.

FERVENTISSIMAE naturæ Squillam esse, nemo dubitat, qui acetum, aut uinum ex ea confectum gustauerit: ob id non tam cibo, quàm medicinæ utilis est. Sunt, qui Apemurin nominent, aut Cepe marinum.

GENERA.

Squillæ duo genera ferunt: Maius, & Minus. Squilla Maior bulbum fert ut cepe, sed maiorem, & rubicundum, in culmine acutiorem. Minor, tenuioribus foliorum operculis, bulbo intus, & toto candido, non in particulas scisso, sed corpore continuo.

COMPLEXIO.

Inter bulbos Squilla feruidissimæ naturæ est, ob id in tertio ordine calefacit, & siccat. Est & incisiuæ uirtutis, dissipans omnia, quæ in corpore coierũt, quomodolibet usa. Habet tamen suas præparationes idoneas ad uarias medicinarum confectiones, quas alio loco legere quis poterit, uel apud Dioscoridem lib. 2. cap. 163. uel apud Pliniũ lib. 20. cap. 9. uel etiam Galenum, & Serapionem, reliquosque Arabes. Nostrum institutum est, simplices ex ea indicare medicinas.

VIRES ET IUVAMENTA.

Contra rimas pedum coquitur cruda Squilla in oleo, aut subigitur resina, & imponitur.

Ex aceto cocta, illinitur contra uiperarum morsus.

Vni parti ex ea cremata, octo salis admiscentur, cochlearique mensura ad molliendam aluum porrigitur.

Quibus urina retinetur, uti Squilla utiliter poterint.

Datur uomiturientibus, & cruditate laborantibus, atque cutẽ subeuntes aquas.

Suffusis felle, torminibus, diutinis tussibus, suspiriosis, & ęgre spuentibus, datur trium obolorum pondere cum melle.

Adiuuat uentriculi coctiones uel præcipue, glutinosaque per aluum educit.

Cauere eam debent, quibus aliquid interaneorum sit exulceratum.

Cremata, utiliter pernionibus & uerrucis inungitur.

Semen eius tritum cum melle, aluum mollit.

Veneficiorum amuletum creditur, integra pro foribus suspensa.

Gingiuis & dentibus prodest cõmanducata.

Tineas, & reliqua uentris animalia pellit, ex aceto & melle sumpta.

Linguæ recens subiecta, pręstat, ne hydropici sitiant.

Cruda siccatur, cum aqua coquitur, & fit utilis hydropicis.

...ũ Squi- liticum. Acetum Squilliticum ad uarios usus accommodari potest, de quo Serapion ita. Est autem acetum Squilliticum ad multa utilissimum. Nam

quando

quando fit oris collutio ex eo, gingiuam laxam ſtringit, confirmat dentes commotos, putredinemq́ eorum, & oris fœtorē aufert. In potu ſumptū, tracheam arteriam indurat & groſſam facit, carnem eius auget, & uocem clarificat, ac fortificat. Ad ſtomachi debilitatem miniſtratur, & ad maliciā digeſtionis, ad opilationes & melancholiam, ad apoplexiam & epilepſiam. Veſicæ lapidem frangit, ſuffocationi matricis conuenit. Apoſtematibus ſplenis, & ſciaticæ prodeſt. Corpus debile ſortificat, & ſanitatem reſtituit. Viſum acuit, & corporis colorem facit bonum, auditus grauitati confert: et omnibus corporis ægritudinibus conuenit, exceptis interaneorum ulceribus. Ieiunis datur paulatim aucta doſe.

NAPI.



De NAPIS.

Teutonice/ Nopen.

RHAPSODIA. CVIII.

NAPI Rapis congeneres ſunt, quorum etiam Plinius, & alij rerum ruſticarum ſcriptores duo genera faciunt. Bunion unum uocant, anguloſis ſoliorum caulibus florens, cuius decoctum purgationibus fœminarum, ueſicæ, & urinæ utile eſt, potum ex aqua mulſa. Idem facit drachma ſucci epota. Semen diſyntericis prodeſt, toſtum, tritumq́, & ex quatuor cyathis aquæ calidæ potum. Verū urinam cohibet, niſi lini ſemen addatur. Alterum genus Buniada uocant, Rhaphano & Rapę ſimile, cuius ſemen contra uenena præſtans eſt. Inflat tamen elixa radix, & minus quā Rapa nutrit.

RAPA.



Rüb.

¶De RAPA SATIVA.

Teutonice/ Rüben.

RHAPSODIA CVIII.

De NOMINE, & generibus eius.

GONGYLI hemeros à Græcis uocatur Rapa satiua: quam ita Latini uocant, ad generis discretionem. Nam duo earum genera faciunt. Satiuum unum, Agreste alterum. Satiuum nouerunt omnes. Agreste uero ramos profert quamplurimos, ad longitudinē brachij, cum folijs mollibus, & paulo latioribus pollice manus. Semen in uaginis conditum habet nigrum extra: cum uero frangitur, intus album.

LOCVS.

Plinius ait, Rapam nullum despicere locum, sed ibi prouenire ubi nihil aliud. Frigore, nebulis, et pruinis mirum in modum augescere, adeo, ut se uidisse testetur. 40. libras excedentes. Difficili solo masculescere ferunt satas.

COMPLEXIO.

Rapæ calidæ sunt & humidæ, uentositatem generant, coitum mouent: eo quod renes calefaciunt: mirabilemq; habent illum inandis oculis proprietatem. Hæc fere Auerrois. Galenus uero in lib. Alimentorum, ait Rapam probe nutrire, si fuerit rite cocta, succumq; generare laudabilē, crassiorem tamen temperato. Crudam coctioni pertinaciter resistere, inflare, stomachumq; infestare, & nonnunq; mordere.

IVVAMENTA.

Præter usus quos Rapa præstat culinarios, habet & uim medicam. Nā pernionibus feruens imposita medetur.

Frigus pellit e pedibus in aqua cocta.

Ius feruens podagris frigidis medetur.

Contusa dum cruda est cum sale, omnibus pedum uitijs est salutaris.

Semen eius illitum, aut potum, contra uenena & serpentes auxiliatur.

Creditur & antidoti uim habere, in uino & oleo.

Tosta articulorum dolori cum adipe prodest.

Veteres laudauerunt Rapam, quod in uenerem facet et procliuiores, maxime si cum Eruca condiretur.

Meditullium foliorum eius comestum, urinam prouocare creditur.

Semen Rapæ agrestis, smegmaticis, & quæ ad extergendam cutem parantur, admiscetur.

RRITICVM.



Weyssen.

De RHAPHANO.

Teutonice/ Rettich.

RHAPSODIA CX.

DVO genera Raphani nemo est qui nesciat, tam frequenti usu teruntur ambo. Vnum domesticum est, quod in cibum uenit, frequentius quam utilius. Hoc Romani Radicem appellant. Alterum agreste est, uehementiorique acredine preditum quam satiuum, ob id medicinæ quam cibo accommodatius, Armoraciam Latini uocant. Radix.

COMPLEXIO.

Calidus est Rhaphanus secundū Auerroen in tertio. Siccus in secundo, multoque magis semen illius: & agrestis plus quam domesticus. Rasis uero ait. Rhaphanus calidus est & grossus, longam moram in stomacho faciens, flegma incidit, atque cibum ad os stomachi eleuat, uomitum quoque commouet. Folia eius cibum digerunt, & appetitiuam roborant.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Agresti Rhaphano maior uis est ciendæ urinæ.

Sacui uero decoctum mane ternis cyathis potum, calculos comminuit, & eijcit.

In posca decoctus, contra serpentium morsus illinitur.

Ad tussim prodest Rhaphanus cum melle mane comestus.

Contra flegmones contusus imponitur.

Semen tostum, & cum melle contritum, suspiriosis præsidio est.

Rhaphanus, si scorpionibus imponatur, moriuntur.

Est Rhaphano contra uenena, maxime femini ingens uis.

Lienem extenuat Rhaphanus, iocinori prodest, & lumborum dolorem sedat.

Hydropicis quoque & lethargicis ex aceto & sinapi sumptus.

Datur etiam iliosis & colicis.

Intestinorum ulcera sanat, & præcordiorum puruleota, si cum melle edatur, emundat.

Ex aceto & melle sumptus, lumbricos uentris pellit.

Prodest & enterocœlis, si decoctum eius ad tertias cum uino sumatur: sanguinem quoque inutilem sic extrahunt.

Venerem co stimulari Democritus credidit.

Folia oblongorū Rhaphanorum, claritatem oculorū facere putantur.

Acrimoniam Rhaphani addita Hyssopus reprimit.

Ad aurium grauitatem, utiliter succum Rhaphani instillant.



¶ De SISERE, quæ Geirlin uocantur.

RHAPSODIA CXI.

EST ET Siser inter radices quæ edendo sunt, prorsus amœni gustus & odoris, a multis annis a Germanis petitę ad lauticiam generosorū.

LOCVS.

Frigidioribus prouenit locis: quo fit, ut in regionibus feruentioris cœli non tam apte plantari possit.

GENERA & SPECIES eius.

Plinius duo genera Siserum facit. Erraticum, & Satiuum, eiusdem tamen figuræ & effectus. Seritur Siser mensibus Februario, Martio, Aprili, & Augusto, Septembri & Octobri non semine, sed radicum taleolis. Neruum in medio, Pastinacæ modo habet.

VIRES ET IVVAMENTA.

Grato in cibis gustu Siseris radix est, uel ipsis Romanorum imperatoribus ad lauticiam adpecta paratur, eo quo Pastinaca modo: sicq; stomacho utilis est, urinam cit, uentriculiq; appetentiam roborat.

Conuenit uehementer defectis uiribus, & a longa ægritudine iamiam surgentibus.

Restituit etiam eos, quos longæ uomitiones debilitarunt.

Satiui pręcipue succus cum lacte caprino potus, aluum sistere creditur.

B R A S S I C A.



Kól/ Kappeskraut.

DE BRASSICA.

Teutonice/ Köl / vnd Kappeskraut.

RHAPSODIA CXI.

MVLTA Brassicę reperiuntur genera apud omnes rei rusticę scriptores: tria tamen apud nos in usu esse uisuntur. Quę nigrior est, & admodum crispa in thyrsum surgit. Quod & altera, quæ expassiori folio est, facit: quibus adprime uires illę conueniunt, quas illis autores adscribunt: his nomen Germanicum, Koel conuenit. Tertium genus alba Brassica est, quę in eximię magnitudinis capita apud nos complicatur. Dilutior illi uis est, & succus peior. Hanc Germani, Kappes uocant, & ad quotidianos usus ciborum iniuria condiunt: uerum ad medicinæ usum prorsus inutilis est. Plinius uidetur Capitatum hoc holus, Betā nominare. Esto igitur utrūlibet, nos Brassicæ adscribimus. Cuius etiam quamplura alia genera apud Catonē, Columellam, & reliquos inuenies.

IVVAMENTA.

Chrysippus medicus integrū uolumen Brassicæ dedicauit, per singula membra hominis digestum. Crispa tamen, uti Catoni uisum est, & nobis, efficacissima esse creditur: illius uires exequemur.

Cato prodesse tradit capitis doloribus, oculorum caligini, & scintillationibus, stomachoq; & præcordijs, si cruda cum aceto, melle, ruta, coriandro, menta, laserisq; radicula ieiune duobus acetabulis sumpta fuerit.

Item Podagrę, & articulorum doloribus illini iubet, tritam cum ruta, coriandro, salis mica, & farina bordei.

Decocto eius ex aqua, neruos & articulos mire iuuare ait.

Fouentur eo utiliter antiqua ulcera, et carcinomata quæ alias sanari non possunt: ea foueri prius aqua calida iubet, & bis die tritam imponere.

Sic etiam fistulas eluxatas, & tumores reuocari, quæq; discuti opus sit.

Insomnia etiam, uigiliasq; tollere decoctam, si ieiuni edant quamplurimā ex oleo & sale.

Tormina tollit bis cocta cum oleo, sale, cumino, & polenta: magisq; profuturam, si ita sumatur sine pane.

Per uinum pota, bilem per inferna trahit.

Si infantes urina eius qui Brassicam ederit fuerint loti, nunq; debiles fiunt.

Succus Brassicæ utiliter ex uino auribus dolentibus instillatur.

Impetigines eandem curare dicunt.

Græci putant, Brassicam non percoctam biles detrahere, item aluum soluere, sed bis coctam eandem stipare.

Ebrietatem, uti uitibus inimica, arcete creditur.

In cibo comesta, aut instillatus succus, oculorū claritati multū conferre creditur.

Erasistratij aiūt nihil utilius esse stomacho & neruis; ideo paralyticis, tremulis, & sanguinem exscreantibus dari iubent.

Hippocrates præbet bis coctam cum sale cœliacis, & disyntericis. Item ad tenasmon, & renū uitia, lactisq; ubertatē. Et purgationē puerperis ea præstari credidit.

Crudus caulis si edatur, fœtus mortuos ex utero pellit.

Apollodorus contra fungorum uenena succum bibendum censet.


Sunt qui a podagra eius comestione, & succi potione liberati legantur.

Datur idem cardiacis & comicialibus, nec non spleneticis cum sale, idq; in uino albo per dies quadraginta.

Ictericis & phreneticis datur crudæ radicis succus gargarizandus, bibendusq;.

Habet præterea innumeros in medicina usus, quos apud rei rusticæ scriptores, item Plinium & Theophrastum colligere licet; his nos contenti sumus.

THAPHANVS.



Rettich.

De TRITICO.

Teutonice/ Weyssen.

RHAPSODIA CXII.

Restant quę in agris proueniunt ſemina, tam culinę quam medicinæ apta: inter quæ primas tenet Triticum, primarium hominis alimentum, & in ſanitate & ægritudine maximū adiutorium. Variatur autem in bonitate ſecundum regiones, unumcꝫ altero nonnunꝙ duplo grauius, meliuſcꝫ exiſtit.

COMPLEXIO.

Temperamento proximum eſt Triticum, licet aliquanto calidius, idcꝫ uix perceptibiliter: unde quod ex eo plenius ac ſolidius inuenitur, maioris eſſe nutrimenti cenſetur.

LOCVS.

Teſtatur Plinius, non omnia frumenti genera ubicꝫ prouenire. Triticum tamen fere omnibus terris commune eſſe: nec ferolius quicꝫ, quod ei natura datum eſt, quod ex Tritico maxime alatur homo, adeo, ut alicubi ex uno modio.150. modꝫ ſementis reddatur. Necꝫ id mirum ſane: cum proditum ſit ueterum commentarijs, diuo Auguſto ab eius procuratore, miraculi uice, miſſa eſſe.200. paucis minus germina ex uno grano prodeuntia. Similiter Neroni.380. ſtipulas ex uno grano.

Naturæ miraculum in Tritico.

VIRES ET IVVAMENTA.

Crudū in cibo ſumptū Triticum, uentris lumbricos rotundos generat.

Maſticatū, & mox impoſitū Triticum, rabidi canis morſibus opitulať.

Trimeſtris Tritici farina, cum Apollinaris herbæ ſucco, contra inteſtinorum inflationes, & in neruos deſtillationes utiliter illinitur: & ex acceto mulſo lentigines delet.

Furfures Tritici in acerrimo aceto elixi, calenteſcꝫ illiti, lepras pellunt.

Incipientes inflammationes illiti leniunt.

In rutæ decocto elixi, tumentes a partu mammas ſedant.

Viperarum morſibus, & torminibus ſubueniunt.

Confectum ex Triticea farina fermentum, calefaciendi, extrahendicꝫ ui ſua, callos in pedibus extenuat, tubercula & furunculos cum ſale maturat & aperit.

Trimeſtris Tritici farina ex aceto, aut uino, uenenoſorum animalium morſus, ictuſue ſanat illita.


Eadem glutinis modo elixa, linctu ſanguinem exſpuentibus prodeſt.

Eadem facit ad tuſſim, & faucium aſperitates, cum mentha & butyro elixa.

Tritici grana combuſta ferro, ĳs quos frigus uſſerit præſentaneo ſunt remedio.

Podagricorum pedes acernis Tritici immerſi, a dolore leuantur.

Palea Tritici in aqua cocta, ramici utiliter imponitur, præfons prius eadem aqua.



Siligo.

Rocken/oder korn.

¶ De SILIGINE.

Teutonice/ Rocken.

RHAPSODIA. CXIII.

SILIGINEM Plinius delitias Tritici appellat, ob eximium candorem, unde & laurissimus panis ex ea fit, aliaque pistrinarum opera laudata. Italica præstantissima est, licet ruffior. Pisana uero candidissima. Siligo nunque maturescit pariter, nec ulla segetum minus dilationis patitur, propter teneritatem: iisque quæ maturuere, protinus granum dimittentibus. uerum minus quam cætera frumenta in stipula periclitatur: quoniam semper rectam habet spicam, nec rorem continet qui rubiginem faciat.

HERM. BARB.

DIOSCOR.

Siligo aliquanto minus nutrit, atque in panes cogitur ut Zea. Fitque e Siligine crassior farina, quam Græci Crimnon uocitant.

Olyra, Siligo a nostris uocatur, & Catoni species est Tritici. Nam uitium Tritici est. Omne enim Triticum solo uliginoso, post tertiam sanonem, conuertitur in Siliginem. Est & Olyra Galliarum propria, quæ cognominatur Arinca, uel Italiæ copiosa. Hanc puto esse, quam Græci uocant Cratin, ut est apud Aristotelem, siue, quod idem est, Grastin. Germaniæ notissimum frumenti genus, quo pabuli uice indies utitur præcipue uulgus.

LOCVS.

Seri debet Siligo apricis, & a sole tostis locis, idque mense Nouembri, debitoque tempore runcari, sarririque. Sed de his alias.

IVVAMENTA.

Siliginis grana combusta, & trita, in uino amineo, epiphoras sedant oculis illita.

❡DE AVENA.
Teu nice/ Haberen.

RHAPSODIA CXIIII.


AVENA Grecis Bromos dicitur, culmum habens geniculis interse=ctum folia Tritico similia, & in sumo pendētes paruulas ueluti locustas, duplici crure diuaricatas, ex quibus tandē semen progreditur.

IVVAMENTA.

Vtilis est Auena ad cataplasmata, non secus atq; hordeum.

Puls etiam ex eo fit, cohibendæ aluo accommodata.

Farinæ eius cremor, utiliter in sorbitione tussientibus datur.



ZEA.



Spelz.

❡ De ZEA.

Teutonice/ Spelzen.

RHAPSODIA CXV.

SEMEN Itali uocant quam ueteres Zean, & nos Speltã satis barbaro uocabulo uocamus: peculiare frumentũ Aegypti, Syriæ, Ciliciæq́;, & Asiæ, ac parti Græciæ. Ea utuntur qui far non habent, quamuis nunc & in alias regiones prorepserit.

GENERA ET SPECIES eius.

Dioscoridis duo genera Zeæ facit. Simplex, & unius tantũ grani. Duplex, & Dicoccon uocatum, quod duobus utriculis iunctis duo grana simul ferat. Tritico & Hordeo est similis, ut ait Theophrastus, ualidior tamen, & auidior, & maxime terram emungens. Multis enim, profundisq́; radicibus nititur, & numeroso fruticat culmo, cunctis animalibus grata.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Nutrit magis quam hordeum Zea, suauis in cibo est. Panis tamen ex ea confectus minus quam ex Tritico nutrit.


Cremor Speltæ ex uino rubro sumptus, ad scorpionum ictus, & sanguinem exscreantibus est utilis.

Eodem modo arteriæ incommodis opitulatur.

Tussi prodest sumpta cum seuo caprino, aut butyro.

Veterum sententia est, neminem posse citra sanitatis iniuriam, affatim uesci pane qui ex Zea conficiatur. Quod si quis insolentius eo uescatur, etiam a minima portione damnum sentire. est enim grauis, & concoctioni rebellis. Quapter, qui sub gelido cœlo, ac hyemali degunt, pasci Zea, atq́; eam serere compelluntur: ut quæ frigoribus perstinue resistat.

Hordeum.



Gerst.

¶ De HORDEO.

Teutonice/ Gersten.

RHAPSODIA CXVI.

HORDEVM diuersæ a Tritico facultatis est, siquidem illo palam calefaciente, hoc adeo non calefacit, ceu in medio calidi frigidiq; constituti, ut etiã frigerare aliqua ex parte oporteat. Nulla igitur apparandi ratione Hordeum unq; calfacit, sed uarie pro modo præparationis, nunc humectat, nunc siccat. Quandoquidem polenta ex tosto hordeo siccat, ptisana uero econtra humectat, si quidem fuerit rite parata.

IVVAMENTA.

Diuerso modo paratum, & hominibus & iumentis alimoniam Hordeum præstat. Indis Hordeum est satiuũ, & syluestre, ex quo panis apud eos præcipuus. Nam antiquissimum in cibis Hordeum fuit. sicut Atheniensium ritu, Menandro autore apparet: & gladiatorum cognomine, qui ab Hordeo, Hordearij uocabantur. Polenta ex eo conficitur, & Ptisana: cui proprium uolumen Hippocrates dicauit. Fit ex eo etiam panis, qui ueteribus quidem in usu fuit: uerum nunc damnatus est, quadrupedumq; traditus refectionibus. est enim macer, ac aridus, nihil glutinosi in se habens: ex quo clarum est, exiguam ab eo alimoniam in corpus concedere, maxime si ex uili Hordeo fiat.

Ptisana hordeacea ab Hippocrate laudata est satis, ac abũde, idq; Lib. primo de ratione uictus in morbis acutis.

Hordeacea farina cum fico & aqua mulsa elixa, tumores, collectionesq; discutit.

Cum pice, resina, & fimo columbino, duricies emollit.

Cũ fertula campana, & papauerũ uasculis, pleuriticorũ dolores sedat.

Cum lini, fœnogręciq; semine, & ruta, contra intestinorum inflationes illinitur. Cum liquida pice, cera, oleo, & impubis pueri urina, strumas maturat. Cum uino, mirti baccis, aut syluestribus pyris, rubo, uel mali corio, alui fluores compescit.

Cum cotoneis malis ex aceto, podagræ inflammationes lenit.

Cum acerrimo aceto decocta, calensq; imposita, lepris medetur.

Expressus ex Hordeo succus, ac mox cum pice & oleo coctus, suppurationes adiuuat.

Expressus cum aceto, & cum pice coctus, destillationibus in articulos prodest.

Succus decocti Hordei in aqua cœlesti, intraneis ulceratis, & uuluis infunditur.

Cinis eius ambustis illinitur, & carnibus quæ recedunt ab ossibus, eruptionibus pituitæ, & muris aranei morsibus.

Item asperso sale ac melle, candorem dentibus, & suauitatem oris facit.

Eos qui hordeaceo pane uescuntur, negant morbo pedum tentari.

Herba quæ murinũ Hordeũ uocaẽ, ex uino pota, pręclare menses ciet.

De ORYZA.

Teutonice/ Reiß.

RHAPSODIA CXVII.

CARNOSA habet Oryza folia, Porro similia, sed latiora. Altitudo illi cubitalis. Flos purpureus. Radix rotunda. Italiæ frequens est.

COMPLEXIO.

Oryzæ temperamentum in calido & frigido fere æquale est, siccat tamen abunde.

LOCVS.

Nascitur locis palustribus, & uliginosis.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Mediocriter nutrit Oryza, uentremque constipat.

Serapion de Oryza sic ait. In sapore eius est stypticitas: & ideo retinet uentrem retentione temperata. Minus quam frumentum nutrit. Et quando sani egent pultibus eius, propter punctiões quas habent in uentre, aut propter fluxum multorum humorum, super quos uincit cholera, aut alia aliqua causa simili, huic coque oryzã donec dissoluatur, et fiat sicut aqua, & da in potu. Et hora conuenientior usus eius, est tempus humidum, & quando stomachus est fortis uirtutis ad cibos.

Oryza auget sperma: & quando comeditur, minorat fęces, & urinam, & uentositates.

Bona est ulceribus intestinorum, & punctionibus eorum, quando bibitur, aut fit cum eo clistere.

Rubea magis est constrictiua.

Galenus lib. alimentorum primo sic ait. Semine hoc omnes in sistenda aluo utuntur, eodem modo quo alicã decoquẽtes: difficilius tamen quam alica conficitur, & tenuius alit, unque & in edendi suauitate longe illa inferius sentitur. Fertur Indos ex Oryza conficere oleum.

FABAE.



Bonen.

De FABA.

Teutonice/ Bonen.

RHAPSODIA CXVIII.

FABAM Græci Cyamon uocant: legumen est frigidæ & siccæ temperaturæ, uirtutẽ habens absterſiuam. De cuius ſatione, cultu, & prouentu, apud ruſticæ rei ſcriptores multa ſunt, ad quos idipſum ſcire cupientes remittimus, tractaturi tantum, quæ ex ipſa ad rem medicam ſpectare uidentur.

VIRES ET IVVAMENTA

Faba uehementer est inflatiua, & ægre concoquitur.

Tussi medetur, & facit insomnia horribilia: carnem tamen augmentat.

Decocta cum cortice suo in posca, atque in cibo sumpta, intestinorũ tor=mina, & cœliacas fluxiones sistit.

In cibo sumpta, uomitionibus aduersatur.

Cum prima in coquendo aqua diffunditur, minus inflat.

Viridis stomacho nocentior est, & magis inflat.

Eius farina sola, & cum polenta, inflamationes ulcerum illita mitigat.

Cicatrices concolores reliquæ cuti facit.

Quibus ubera inflammantur, & lac in mamis cõagulatur, præsidio est & refrigerio.

Strumas, parotidas, & suggillata cum melle & fœnograeci farina discu tit. Cum rosaceo, thure, & oui albo, procidentes oculos, et eorum uuas, tumoresque compescit.

Vino macerata, oculorum suffusionibus, & ictibus medetur: sistendis= que eorum fluxionibus, sine cortice masticata fronti imponitur.

Testium inflammationes uino incocta sanat: puerorumque imo uentri imposita, diu eos impuberes seruat.

Vitiligines illita exterit.

Fabarum cortices ioformes, tenuesque corporis euulsos pilos renasci co= gunt.


Strumas discutiunt cum polenta, & scissili alumine ex uetere oleo illiti.

Lanæ etiam earum decocto tinguntur.

Faba per naturalem commissuram diuisa, sanguinis irruptiones ab hi= rudinibus factas, imposita compescit.

Fabalium siliquarum cinis ad coxendices, & neruorum ueteres dolo= res, cum adipis suilli uetustate prodest.

Per se cortices decocti ad tertias, aluum sistunt.



¶De PISIS.

Teutonice/ Erbßen.

RHAPS. CXIX.

SIMILE quid tota substantia Pisa cū Fabis habent, nec alioquā illi modo comeduntur. Duo tantum sunt in quibus euariant. Non enim similiter ut Fabæ inflant, nec abstergunt, ideoq; segnius quam illæ per aluum descendunt. Seri debent in apricis locis: q̄d frigoris sint impatientissima.

LENS.



De LENTE.

Teutonice/ Lynsen.

RHAPSODIA CXX.

PHACON Romani Lentem dicunt: legumen est frigidę & siccæ temperaturæ, ob id etiam uentrem stringit. Lens amat solum tenue magis quam pingue, cœlum utiq; siccum. Duo eius in Aegypto genera sunt. Alterum rotundius nigriusq;. Alterum sua figura.

IVVAMENTA.

Ferunt æquanimitatem fieri uescentibus ea.

Lens optima quæ facillime coquitur, quæq; magis aquam absorbet.

Oculorum aciem obtundit, & stomachum inflat: sed aluum sistit in cibo, maxime cœlesti aqua discocta, uerum minus percocta soluit.

Crustas ulcerum rumpit, eaq; quæ intra os sunt, purgat & adstringit.

Collectiones sedat imposita, maxime si fuerint exulceratæ & rumosæ. Cum meliloto & cotoneo malo, oculorum epiphoras tollit.

Contra suppurantia cum melle imponitur.

Succus decoctæ lentis contra genitalium, & oris exulcerationes utiliter imponitur. Ad sedem cum rosaceo, aut cotoneo. In ijs quæ acrius remedium postulant, cum malicorio, & modico melle. Ne uero cito marescat, adjciunt Betæ folia.

Strumis, atque panis maturis, uel maturescentibus ex aceto cocta imponitur.

Rimis ex aqua mulsa, gangrenis cum malicorio, podagris, uuluis, renibus, pernionibus, & ulceribus ægre cicatricem ducentibus cum polenta.

Contra stomachi dissolutionem. 30. grana lentis excorticata sumuntur.

In choleris & disynteria efficacior est in tribus aquis percocta: in quem usum melius est eam semper iterum torrere, & retundere, ut quam tenuissima detur, uel per se, uel cum cotoneo malo, aut pyris, aut myrto, aut intybo erratico, aut beta nigra, aut plantagine.

Pulmoni est inutilis, & capitis doloribus, ac neruosis omnibus, & felli: nec somno facilis est, sed ad pustulas utilis, ignique sacro, & mammis in aqua marina decocta.

Stomachi caussa polentæ modo sorbitionibus inspergitur.

Aqua eius semicoctæ, ambusta sanat: postea trita, & per cribrum effuso furfure, mox præcedente curatione addito melle.

Ad gutturis uitia coquitur cum posca.

Reliqua ad Lentis cognitionem facientia, discere poteris ex rei rusticæ Scriptoribus.

MILIVM.



¶ DE MILIO.
Teutonice/ Hyrß.
RHAPS. CXXI.

MILIVM inter frumẽtacea minus nutrit. Puls ex eo confecta, urinam quidẽ cit, sed aluum sistit. Torminibus, & alijs doloribus pręsenti remedio est, feruens saccis inditum et impositum. Recẽtiores illi uim assignant refrigerandi, in tertio, siccandi in secundo. Verũ ad concipiendum & seruandum calorem, nihil illo aptius.

Hyrß.

De CICERE.

Teutonice/ Ziſern.

RHAPSODIA. CXXII.

DIOSC. Cicerum tria genera aſſignat. Commune, Arietinum, & Syluestre. Plinius addit Album, Nigrum, Columbinum. Omnem terram patiuntur, ideo ubiq; ſeri poſſunt ab idib. Octobris, in Kalend. Nouembris. Eadem ſicut reliqua legumina cum mature ſcere cœperint legenda ſunt: quoniam cito exiliunt, latentq; cum deciderе. Dulciſſimũ quod Eruo ſimilimum, firmiusq;, quod nigrum & ruffum, quam quod album. Ciceri ſunt ſiliquæ rotundæ, cum cæteris leguminibus longæ ſint.

COMPLEXIO.

Calidum eſt Cicer & humidũ, habetq; uim abſtergendi & attrahendi.

VIRES ET IVVAMENTA.

Cicer ſatiuum bonam facit aluum.

Vrinam cit, ſed inflationes concitat.

Cutis colorem commendat.

Foetus & menſes trahit, & lactis abundantiam facit.

Contra inflationes teſtium, & formicas imponitur cum eruo coctum.

Cum hordeo autem & melle, contra ſcabies, manantia capitis ulcera, impetigines, cancreſcentia, & quæ cacoethe uocantur ulcera.

Arietinum cicer datur ad ciendas urinas. Decoctum cum roſmarino, contra fellis ſuffuſiones, item & cutem ſubeuntes aquas.

Vtrumq; renes, & exulceratam ueſicam lædunt.

Syluestre per omnia ſatiuo ſimile eſt, folijs, ſemine differt, & acri odore: uiribus quoq; par eſt.

Nigra ſunt magis diuretica, & aquã decoctionis corũ lapidem renum frangit.

Exulceratis inteſtinis coquatur farina cicerũ cum lacte, & ſorbeatur.

Nihil æque pulmonem reſtituit.

Eſt & Cicercula, quaſi dicas minutum Cicer, aluõ accomodatius.

Columbinum in aqua coctum, iusq; ſi potum fuerit, horrorem tertianę & quartanæ minuere traditur.

Galenus ait. Cicer non minus quam faba inflationes excitat, ualentius q; nutrit, uenerem ſtimulat, & genituram auget.

T De



❡ De ERVO.

Teutonice/ Wicken.

RHAPSODIA CXXIII.

TENVIS frutex est Eruum, notus omnibus, folia habens angusta, & semina parua in siliquis, ex quibus Erui farina, quæ medicinæ accomodata est. Hominum cibis prorsus damnatur Eruum. Potentiam illi Brassicæ æqualem tribuerunt ueteres.

COMPLEXIO.

Calet Eruum & siccat in secundo. Abstergit, & incidit, opilationesq; aperit.

IVVAMENTA.

Cõtra serpentiũ ictus, atq; crocodylorũ, & hominũ morsus ex aceto imponitur.

Si quis quotidie Eruum ieiunus edat, lienem eius absumi certissimum est.

Farina Erui maculas cutis emendat. Serpere ulcera, potissimũ mamarum nõ sinit. Carbunculos rumpit, ex uino impositum. Vrinę difficultates, inflationẽ, uicia iocineris, tenasmon, & qui non nutriuntur acrophi dicti, tostum, & in nucis auellanæ magnitudine melle collectũ & duratũ, corrigit. Panos ex melle impositum, suppurare non patitur. Aqua coctum perniones & pruritus sanat fouendo.

Si quis ieiunus quotidie biberit, uniuersi corporis color meliorabitur. Vomitiões mouet, aluũ turbat, capiti et stomacho onerosum est. Semina quoq; degrauat.

Madefactũ tamen pluribus diebus, mitescit. Bubus, iumentisq; utilissimũ est.

Siliquæ eius uirides, cũ suo caule, tolijsq; cõtritę anteq; indurescant, nigro colore capillos inficiũt. Eruũ ex melle, crassos pulmonis, thoracisq; humores expurgat.

De PHASELO.

Teutonice/ Phaselen.

RHAPSODIA CXXIIII.

De NOMINE.

VARIANT autores in nominando Phaselo. Dolichon enim quidam, alij Phasiolum, alij Phasilum nominant. Cum Ciceribus fere, notis omnibus, incidunt, inflant, & corpus inpinguant. Vrinam & menses prouocant, uentrem mollem reddunt: id quod maxime rubei faciunt & recentes. Vomitiones concitant. Galenus inter ea connumerat, quę bonū succum, & ea quæ prauum gignunt, inter concoctu facilia & difficilia, tarde citoq; transeuntia, flatulenta & flatum leuantia, parum alentia & multum medium quodammodo locum obtinuerunt. Nihilq; actiuæ qualitatis habent, nec saporis quicq;. Hęc ille. Phaseoli præterea corpus calefaciunt, scotomiam generant, ac somnia mala.

De LVPINIS.

Teutonice/ Sygbonen.

RHAPSODIA CXXV.

DVO Lupinorum sunt genera, Satiuum unum, Agreste alterū: id quod satiuo in omnibus, præterq; in amarore minus est.

COMPLEXIO.

Lupini calidi sunt & sicci. Abstergunt, resoluunt, mundificant, & aperiunt. Vsus eius homini & quadrupedum generi ungulas habenti communis. Remedium est, ne metentes exiliendo fugiat, ut ab imbre tollatur. Nullaq; eorum quæ feruntur natura mirabilior est. Primum omnium cū sole quotidie circumagitur, horasq; agricolis, etiam nubilo demonstrat. Ter præterea floret. Terram amat, terraq; operiri non uult: & quamuis frutetoso solo fuerit coniectum inter folia, uepresq;, ad terram tamen radice peruenit. Vnus seritur terra non arata, ubi fuerit maxime sabulosa, sicca, & arenosa. Coli itaq; non uult. Pinguescunt hoc arua, uineæq;. Adeo non eget fimo, ut optimi uicem repræsentet. Nihil aliud, nullo impendio constat. Seri non habet opus, nec spargi, per se protinus decidens. Primū seritur, ultimū colligitur. Vtrumq; septembri mense. Nisi enim antecesserit hyemem, frigoribus obnoxium erit. Impune iacet uel derelictum, si nō protinus secuti obruant imbres: ab omnibus animalibus amaritudine sua tutum. Plęrumq; tamen leui sulco obruunt. Ex densa terra, rubricam maxime amat. Cretosam limosamq; odit, neq; in ijs prouenit. Cibus fit in aqua calida maceratus. Hæc Plinius.

Papauer.



Magsomen.

De PAPAVERE.

Teutonice/ Magsot.

RHAPSODIA CXXVI.

PAPAVERVM multa genera, & apud Plinium, & Dioscor. inuenies. Est enim Satiuum, Erraticum, Corniculare, & Spumeum. Nos reliqua missa facientes, Satiui uires perscrutabimur. Quod & ipsum duplex est, Album uidelicet, & Nigrum. Albo pro Sesamo utuntur, ac pani compinsunt: nascitur que uasculo oblongo. Nigrum syluestre putant, medicamentisque accommodatius esse.

VIRES ET IVVAMENTA.

Primaria uis Papauerum omnium est, ut infrigident: ideoque folia cum uasculis aqua decoquunt, dormiturosque ex ea fouent.

Contra sacros ignes, & reliquas inflammationes contrita Papauerum uascula, cum polenta utiliter imponuntur.

Vascula in aqua ad dimidium excocta, additoque melle, & ad spissitudinem simul decocta, medicamentum faciunt, quod linctum somno dolorē leuat, tusses, fauciumque destillationes, et cœliacas affectiones mitigat: fitque efficacius, si hypocisthis & acaciæ succus addantur.

Nigri Papaueris semen contritum, atque ex uino potum, destillationes in aluum, atque mulierum fluxiones emendat.

Idem ex aqua timporibus impositum, soporem inducit.

Plus refrigerat eiusdē Papaueris succus: is erui magnitudine sumptus, somnum inducit. uerum si maiore copia sumatur, mortiferum lethargum inducit. Alioqui somno dolorē leuat, præcordia maturat, tusses atque cœliacas affectiones subleuat.

Capitis dolores cum rosaceo inunctus tollit.

Cum myrrha, crocoque, & oleo amygdalino, aurium doloribus utiliter instillatur.

Oculorum inflāmationibus, cum tosto oui uitello, et croco imponitur.

Ex aceto prodest uulneribus, sacrisque ignibus.

Podagricis utiliter illinitur cum lacte humano, & croco Sedi subditus.

In grauissimis colicæ doloribus somnum facit.

Quo pacto liquor hic ex papaueraceis uasculis eliciatur, apud Autores passim legere poteris.

DE ARBORIBVS Primum Frugiferis.

De MALO.

Teutonice/ Apffelbaum.

RHAPSODIA CXXVII.

Mira uis,& inexhausta naturæ sedulitas, in Malis apertissime notari potest, tam uaria eorũ genera, species, qualitates,& discrimina quo tidie producẽtis. Nec enim eorum poma una figura edere, uno colore ue-stire, uno tempore maturare, aut uno sapore odoreue donare satis habu-it, uerum tot fere eorum discrimina fecit, quot partes orbis facere quis pos sit: quo etiam fit, ut facile omniũ eorum proprietates describi nõ possint. Maxima tamen omnium differẽtia, in fructus sapore consistit: qui ut pro tempore maturitatis alteratur, ita pomorum etiam natura diuersum sorti-tur effectum. Ante enim quam maturescant, omnium sapor austerus & stipticus esse inuenitur: quo fit, ut adstrictoriã eousq; uim seruent, dum maturitas austeritatem & stipticitatem auferat, atq; unicuiq; proprium sa porem ministret. Omnium tamen folia Malorum, flores quoq;, coliculi-q; adstringunt, maxime Cotoneorũ. Fructus qui ficciori sunt substantia, ad repositionem sunt aptiores, solidiusq; nutrimentũ corpori ministrant. Qui uero humidæ consistentiæ sunt, ocyus corrumpuntur, exiguumq; corpori alimentum suppeditant. nam facile e corpore excernuntur. Poma quæ uerna sunt, & acerba, quemadmodũ & immatura omnia, stomacho inutilia sunt, aluum & uesicam grauantes, neruosq; lædunt. Dulcia uero stomachum & uentrem soluunt, suntq; fiticulosa & æstuosa, uerum ner-uis non obsunt.

Pomorum differentia.

De COTONEO MALO.

Teutonice/ Quittenbaum.

RHAPSODIA CXXVIII.

Eximiam adstringendi uim sortita sunt Cydonia, uel Cotonea mala, stomacho accommodatissima. nam magis adstringunt quam alia, durabiliusq; alimentum corpori præbent. Cocta suauiora quidem fiunt, non tamen idem possunt quod cruda. nam adstringendi uim amittunt. Cruda uero & matura, sanguinem exscreantibus, disyntericis, cœliacis, & cholericis prosunt.

Cœlesti aquæ incocta, pectoriq; imposita, febrium ardores reprimunt.

Stomacho dolenti cruda uel cocta, emplastri more imposita, præsenti remedio sunt.

Lanugo eorum uino incocta, atq; cum cera illita, carbunculos sanat.

Alopecijs capillos reddunt.

Melle feruata cruda Cydonia, urinam mouent: fitq; mel illud eorũ præ senna stomacho utilius.

Succus crudorũ lienosis, recta ceruice spirantibus, & Hydropicis pro-dest. Confert etiam mammarum uitijs, condylomatis, & uaricibus.

Flores eorum uirides & ficci, oculorum inflammationibus, sanguinis exsiccationibus, & mulierum menstruis potu medentur.

Fit etiam succus ex eis tusis cum uino dulci, cœliacis, & hepaticis accõmodatus.

Quod melinũ uocãt oleũ, ex Cydonijs fit quæ siccis locis prouenerĩt.

Quæ in corũ genere Struthea uocantur, non tam sunt efficacia, licet maiora sint & pulpuliora. Pręstãtia paruis, rotundis, et odoratissimis tribuũt.

De PYRIS.

Teutonice/ Byerbaum.

RHAPSODIA CXXIX.

MVLTA Pyrorum genera a rei rusticę Scriptoribus enumerantur, non secus atq; Malorum, ubi & eorum insitiones & curas plene discere quis poterit. Adstrictoriam uim sortita sunt plane omnia Pyrorum genera, quare ad cataplasmata eis utuntur, corporum uitijs discutiendis.

Omnium Pyrorum cibus etiam ualentibus onerosus est, ægrisq; uñi modo negatur.

Decocta mire salubria grataq; sunt, maxime stomacho utilia quæ cum melle coquuntur.

Decoctum Pyrorum in aqua duricias omnes discutit.

Pyra syluestria tarde maturescunt, cõcisaq; suspenduntur ut arescant, ad sistendam aluum fluentem: id quod etiam decoctum eorum præstat.

Folia nonnunq; cum pyris ad eosdem usus decoquuntur.

Cinis ligni Pyrorum contra fungos utilis est.

Pyra quæ uehementer dulcia sunt, infrigidant quidem minus, adstringunt tamen & ipsa uentrem.

Conduntur etiam Pyra in hyemales usus non secus atq; alia Poma: uinumq; ex eis factum, stomacho gratum est, & nutritioni postq; deferbuit accomodatum.

De PERSICIS.

Teutonice/ Pfirsich

RHAPSODIA CXXX.

PEREGRINA arbor Persicus est, sua in terra lethalis, uerum alio tralata, cibum fert suauissimum, stomachoq; gratum: licet mali & corruptibilis succi sit, ob id prima mensa edendus. nam si post alios cibos fuerit sumptus, una secum alios corrumpet ac deprimet. Reliquo ĩnocentissimus cibus est, aluum bonam faciens cum maturuit. Acerba tamen uentrẽ sistunt, maximeq; uento afficcata.

Siccorum decoctum in aluum & stomachum destillationes potũ sistit.

Minora Persica, quæ & Armenica uocantur, uel Præcocia, prædictis stomacho sunt magis accommodata.

De CERASO.

Teutonice/ Kriesbaum.

RHAPSODIA CXXXI.

AEQVE peregrina est Cerasus, e Ponto olim Romanis adportata: nam uero nullus est angulus qui Cerasis non scateat. Multa earum genera sunt, iuxta saporis quo prædita sunt diuersitatem. Sunt enim dulcia, austera, & acetosa. Dulcia statim uentrem pertranseunt, parumque nutrimenti ibidem relinquunt. Diuersum faciunt austera & acetosa, quæ uentri & stomacho utilia sunt, inuiscatione in ullis eius flegma incidentes.

Seruantur & hæc oliuarum modo cadis condita, aut sole siccata.

Si calcem uiuam radici Cerasi adieceris, Præcocia poma ferre coges.

Gummi Cerasi uino dilutum atque haustum, contra diutinam tussim ualere aiunt.

Idem & colorem cutis corporis commendat.

Claritati oculorum prodest.

Appetentiam cibi uentriculo excitat.

Prodest etiam calculosis in uino potum.

De MORO.

Teutonice/ Maulbeeren.

RHAPSODIA CXXXII.

IN FABVLIS est, Morum prudentissimam esse arborum: eo quod nouissime & ultima omnium floreat, ob id tempestatibus minus obnoxia. Fructus illius triplicem habet colorem, principio album, deinde rubescit, ad extremum cum maturuit nigricat, succum præbens uinosum.

COMPLEXIO.

Galenus lib. 7. de Simplicium dicit, Mora cum maturuerint laxare uentrem, non matura uero stipare: quare & fluoribus alui omnibus ualde accomodatus est. In cibo pertride atque Sumac cum uino, aut aqua sumi debet. Matura Mora præter id quod constringunt, austeritatem quandam habent, estque tota arbor mixtæ qualitatis, partim stipantis, & partim lubricantis. Verum radici maior uis solutiua attribuitur, adeo, ut & latos uentris lumbricos expellere queat.

VIRES ET IVVAMENTA

Præ aliis cibis sumpta, puro stomacho non sunt inutilia. Post alium uero cibum, a stomacho malis humoribus imbuto, corrumpuntur & ipsa.

Ventriculo & iecori calidis utilia sunt.

Succus eorum cum melle paratus, fluxiones reprimit, & faucium ulcera emendat.

Radix, uel eius cortex bullitus in aqua, uentrem laxat.

Folia ex aceto imposita, sacros ignes extinguunt.

Capillos tingunt, cum foliis uitis & fici nigri, ex aqua cocta.

Eadem uino incocta, & ore retenta, dentium dolores mitigant. Cum per æstatem fissa fuerit radix, humorem dentibus accomodatum exudat.

De NVCIBVS REGIIS.
Teutonice/ Nuss.

RHAPSODIA. CXXXIII.
De NOMINE.

DICTA est Nux regia, quod Reges eam ex Perside prouincijs alijs intulerint plantandam. Græce dicuntur Carya Basilica: quia caput grauant. Vocantur etiam Nuces Grecę, quod putentur tempore Catonis in Italia non fuisse, sed ex Græcia allatæ.

COMPLEXIO.

Nucis arbor cum folijs & fructu stiptica est.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Nuces Diosc. teste, grauiter digeruntur, stomacho inutiles, choleram augentes, dolores capitis & tussim mouentes: uomituris tamen ieiunio sunt accomodatæ.

Cum ruta & ficubus comestę, uenenis resistunt, etiam si quis in cibo, uel potu uenenum sumpsisset.

Largius comestæ, latos lumbricos expellunt.

Si ex eis emplastrum cum melle fiat, ardentes pectoris abscessus impositæ compescunt, luxataq; membra restituunt.

Cũ cepis, sale & melle impositæ, morsus tam hominũ quã canũ sanant.

Cum putamine earum combustæ, umbilicoq; impositæ, uentris torsiones quietant.

Ex combusto putamine, uino, & oleo factum unguentum, puerorum q; capiti ex eo inunctum, capillos nasci facit.

Combusti nuclei, uinoq; intriti, menstrua sistunt.

Carbunculos illiti, ad cicatricem eos compellunt.

Recentes stomacho minus noxiæ sunt, esuiq; aptiores.

Liuores corporis impositæ sanant.

De NVCE AVELLANA.
Teutonice/ Haselnuss.

RHAPSODIA CXXXIIII.
De NOMINE.

LATINA & græca nomina his Nucibus sunt, Nuces Auellanę, Heracleoticæ, Ponticæ, Prænestinę. Arbor Corylus uocatur, Hyemis tolerantissima.

GENERA ET SPECIES eius.

Varia earum inueniuntur genera, uti & Iuglandium. Rotundę aliquę, oblongę sunt aliæ, albæ, rubeæ, agrestes, & domesticæ.

IVVAMENTA.

Stomacho æque ut Iuglandes nocent.

Contusæ uero, & ex aqua mulsa potæ, antiquas compescunt tusses.

Assatæ, & cũ modico piperis potæ, rheumata digerunt.

Cinis auellanarum ursino adipi mixtus, defluuia capillorum restituit.

De

De PRVNO.

Teutonice/ Pflaumen baum.

RHAPSODIA CXXXV.

SERVILIS arbor Prunus est, ferendisq; uitibus aptissima, sua fertilitate passim campos & sepes locupletans, obq; id omnibus nota est. Manduntur quos fert fructus, stomacho nocui, & aluum lubricantes. In hoc genere Damascena sunt præstantissima, usuiq; medicinæ aptissima. Raro austera, aut acida inueniuntur Pruna cum matura sunt: prius uero quam maturuerint, nullum inuenias quod non acorem, aut acerbitatem præ se ferat. Sunt etiam quæ amaritudinē habeant manifestam. Corpus ex hijs minimum accipit alimenti: uerum cum mediocriter humectare & refrigerare uoluerimus, utilia erunt. Probatissima sunt, cum mediocri constrictiōe ampla, laxaq;. Parua uero, dura & acerba, in cibo molesta, & uentri mouendo inidonea sunt.

Melicrato incocta, abunde molliunt, etiam si sola comedantur: multo uero magis, si melicratum desuper bibatur.

Coquuntur in uino arboris folia, decoctoq; gargarizatum, destillationes uuarum, gingiuarum, & tonsillarum auertuntur.

Idem possunt maturi syluestrium Prunorum fructus siccati.

Iidem in sapa cocti stomacho utiliores, et ad cohibendam aluum aptiores fiunt.

Prunorum gummi uulnera conglutinat, potumq; ex uino uesicæ calculos frangit.

Idem puerorum impetigines ex aceto illitum sanat.

De SORBIS.

Teutonice/ Eschröslin.

RHAPSODIA CXXXVI.

PLINIVS 15. libro suæ naturalis historiæ, cap. 21. quatuor Sorbarum distinguit genera, figura pomi, et colore distantia. Siccantur etiam illa ad usum tam cibi, q̄ medicinæ. Omnia huius arboris instrumenta ad siccitatem sunt prona, folia, apices, et fructus. Frigida sunt omnia & sicca, ob id uentre stringunt, & choleram reprimunt.

Cum adhuc luteo sunt colore, nec plene maturuerunt, dissecantur, atq; siccantur in sole, tum in cibis ad aluum cohibendam sunt utilia.

Teruntur & mola, atq; in eundem usum farina eius uenit in usum.

Idem potest & eorum decoctum.

Sorba minus quam Mespila constringunt: igitur non affatim, sed parte in cibum sunt sumenda. potius enim ratione medicinæ, quam cibi sumenda sunt.

De CORNO.
Teutonice/ Welsch kyrsen.
RHAPSODIA CXXXVI.

SPECIOSA & fortis arbor Cornus est, fructum oliuæ magnitudinē ferens, oblongum, a principio uiridem: cum maturuit, rufum, aut ceræ colore. Is uescendo est, aluicp fluores, & intestinorum tormina compescens. Condiuntur sapa, & in sale ut oliuæ seruantur. Humor qui ex incensis folijs exudat, si lamina ferrea excandente excipitur, nec ligno conungitur, lychenas incipientes, & impetigines illitus sanat.

De MESPILO.
Teutonice/ Nespelbaum.
RHAPSODIA CXXXVII.

TRIA olim Mespilorum genera Italiæ numerabantur, magnitudine & odoris præstantia differentia: quorum minora laudatissima erant, tum quod perennius durarent, tum etiam quod odoris & gustus in illis commendaretur grana. Arbor illa inter amplissimas computatur: Eius folia antecp decidunt, rubescunt. Suntcp illi radices tam numerosæ, & altæ, ut inextirpabiles fere censeantur. Pomum illi exigui Mali figura, amabili gustu, tria continēs grana: unde et Tricoccos appellatur. Genus hoc quod Itali Epimelida, aut Setanium appellant, arbor est Malo similis, folijs tantum minoribus. Fert & ipsa pomum rotundum, latiore umbilico, ac sero maturescens: quod comestum, fauces leniter adstringit. Mespilorum cibus, ob adstrictoriam uim stomacho utilis est, et aluum sistit. Sorbiscp hac ratione Mespila sunt præstantiora.

De OLEA.
Teutonice/ Oelbaum.
RHAPSODIA CXXXVIII.

MAXIMA quondam ueteribus, uti etiam nunc, Oleæ curandæ opera est impensa: nimirum fertilissimam arborum, & quæ non magno impendio constaret cultori uidentes. Nihil enim, prætercp cœlum, & solum, naturæ suæ apta quærit. Frigidissimis non prouenit locis, uti nec calidissimis. Tondetur uinum more, gaudetque nonnuncp interradi: necp id sane sine magno cultoris compendio. magnū siquidem prouentus reddit gratiam: ac sui liquoris tam est prodiga, ut uno asse olim Romæ duodecim libræ olei licitarentur. Igitur maxima Oleæ laus apud rei rusticæ Scriptores increbuit, ob innumeras olei commoditates, quas in præsentia repetere superuacaneum fuerit: eo nos lectorem remittimus.

Interim nobis sufficiat, duo Oleæ genera nouisse nos. Satiuum unum, Agreste alterum: id quod Oleastrum uulgo uocant, aut Ethiopicā oleā.

Adſtrictoriam eius folia uim habent: igitur ſacros ignes, herpetas, epinyctidas, carbunculos, phagedenica, & unguium reduuias conciſa, & illita compeſcunt.

Quæ medici ufferunt, eadem ex melle illita circumſcarificant, ac fordida ulcera repurgant.

Panos, collectioneſq; ex eodem melle illita compeſcunt.

A capite deſquamatam cutem adglutinant.

Vlceribus oris commanducata medentur: id quod etiam ſuccus, ac decoctum eorum poteſt.

Succus præterea adpoſitus, muliebres fluctiões, atq; alia ſanguinis profluuia ſiſtit: quin etiam oculorum uuas, puſtulas, ulcera, & antiquas deſtillationes reprimit: quare & collyrijs contra palpebrarum corroſiones miſcetur.

Colligendi uero ſucci hæc eſt ratio. Contuſis folijs, uinum, aut cœleſtis aqua inſpergitur: tum exprimitur, et ſole ſiccatur, atq; in paſtillos conformatur. Maiori efficacia ſeruatur qui ex uino eſt, purulentis & exulceratis auribus accomodatus.

Cremantur etiam folia cum floribus, in operculato fictili undiq; luto circumlito, uſq; ad fictilis cocturam: cum uino reſtincta iterũ cremantur, ac demum ceruſſæ modo lauatur cinis. paſtilliq; ex eo finguntur. qui Spodio, uocato Nihilo, ad oculorum medicinam ignauiores reperiuntur.

Idem poſſunt, ſatiuæ Oleę cremata folia, minori tamen efficacia, atque ideo oculorum medicinis aptiora.

Humor ex incenſo uiridi Oleaſtri ligno exudans, ſcabies, impetigines q; illitus ſanat.

Oliuæ utriuſq; Oleæ contuſæ, & illitæ, capitis furfures, & phagedenica ulcera ſanant.

Quod in Oliuarum nucleis clauditur, cum farina & adipe ſcabros ungues pellit.

Combuſtiones ab igne, uel feruente aqua, cõtuſa ac illita, ſale condita Oliua reprimit, atq; ſordida ulcera emundat.

Gingiuæ utiliter earum muria colluuntur ſiccandę, indeq; mobiles firmantur dentes.

Ex oleaſtro oleũ, colluendis flaccidis & humentibus gingiuis utile eſt.

Idem mobiles dentes cõfirmat, & deſtillationes in gingiuas compeſcit: oportetq; obuolutum lana ſpecillum demergere in oleum, gingiuiſq; admouere, uſq; dum candido uideantur colore.

Lachryma uel gummi Olearum, maxime Ethiopicarum, hebetibus oculis, atq; eorum cicatricibus & albuginibus utiliter inungitur.

Vrinam eadem trahit, & menſes.

Cauis dentium indita præſenti auxilio eſt.

Numeratur & hæc inter uenena. nam fœtus in utero necat, & extrahit. Lepras eadem & impetigines ſanat. Satis hæc ſunto.

¶De

¶ De LAVRO.
Teutonice/ Lorbörbaum.

APOLLINEA RHAPSODIA CXXXIX.

APOLLINEA nunc sequitur Laurus, quietè uel hostibus spondens perpetuo suo uirore, multifaria uirtute insignis.

VIRES EIVS.

Excalfactoriam uirtutem Laurus habet, folijs, cortice, & baccis.

Decoctum foliorum Lauri, uuluis & uesicæ prodest.

Eadem illita, uespárum, crabronum, apum, & serpentium punctionibus resistunt.

Prosunt & mensibus fœminarum cum oleo cocta.

Tenera Lauri folia, cum polenta trita, oculorum cum ruta, testiũ cum rosaceo, aut irino oleo capitis dolores illita reprimunt.

Terna per triduum deuorata, tussim sedant.

Eadem cum melle trita, suspiriosis prosunt.

Grauidæ summopere cauere debent corticem radicis Lauri.

Radix calculos rumpit, iocineriq; prodest tribus obolis ex uino odorato pota.

Folia uomitiones mouent.

Baccæ menses trahunt, adpositæ tritæ, uel potæ.

Duæ detracto cortice ex uino potæ, orthopnœam, et tussim ueterem sanant: quod si febris assit, ex aqua mulsa, uel passo decoctæ.

Eodem modo & pthysicis, & omnibus thoracis fluxionibus opitulanẽ sumptæ. Nam pituitam excoquunt & extrahunt.

Contra scorpiones quaternæ ex uino bibuntur.

Succus baccarum, pruriginem cutis, & pthiriasim emendat.

Aurium dolori & grauitati, cum uino uetere, aut rosaceo utiliter instillatur.

Perunctos eo, fugiunt omnia uenenata.

Potus contra uenenatorum ictus prodest, maxime eius Laurus quæ tenuiora habet folia.

Perfrictionibus ex fatigatione, adiecto nitro, utiliter inungitur.

Baccæ ex oleo & aceto, lieni & iocineri illinuntur.

Baccarum, foliorumue quadrans pondo, tribus aquæ sextarijs ad tertias incoctus, gargarisma facit, quod uuam reprimit.

Laurinum oleum quo recẽtius, quoq; uiridius colore, eo utilius. Vim habet excalfactoriam, mollit, laxat, & lassitudines recreat. Vtile cunctis neruorum malis, febrium horroribus, aurium doloribus, & destillationibus: contra renum ex frigore dolores, ischiadicis, paralyticis, & capitis doloribus utile est. Eius confectionem a Plinio, aut Dioscor. licebit discere.

Mira quæ alias de Lauro scribuntur, nos missa facimus: ut quæ Medicinam non attineant.

De TAMARISCO.

Teutonice/ Porst/ Tamarisck.

RHAPSODIA CXL.

MYRICAE generis Latinis Tamarix, uel Tamariscus est: id quod Germani nostri Porst, uel Tamarisck, nominant. Notum omnibus Arbustum Tamarix est, iuxta paludes & stagnantes aquas prouenïens, folijs Sauinæ similibus: flore muscoso, qui demum in pappis euolat. Nobiscum sterilis est: quæ tamen alijs regionibus Galla similes profert fructus. Eadem ab Aegyptijs seritur, ubi & in iustam arboris altitudinem excurrit, uires tamen agresti pares seruans. Estq; inter uehementer adstringentia. Plinius tamen alicubi negat Tamaricem ferre fructum, sed tantum scopis ait nasci.

COMPLEXIO.

Siccæ & calidæ naturæ est, unde illi incisiua & abstersoria uirtus accreuit: ob id lienosis accommodatissima.

VIRES ET IVVAMENTA quæ illi autores adscribunt.

Dioscorides ait cruentis sputis, & oculorum medicinis in potione accommodatum esse semen illius.

Cœliacis preterea, fœminarum fluxionibus, suffusis felle, & phalangiorum morsibus.

Idem & tumores reprimit illitum.

Eadem potest cortex, quæ semen.

Foliorum decoctum ex uino potum, lienem minuit.

Colluunturq; eo in dolore dentes, fœminarum etiam fluxiones eo fotæ sistuntur: quod etiam cinis ligni potest.

Quibus abundant pediculi & lendes, ijs utiliter uinum coctionis inspergitur.

Lienosi comodissime ex eius ligno uascula faciunt, ex quibus potent.

Plinius autor est, sanari Tamarice carcinomata, si in uino decocta, trita q;, & cum melle illita fuerit.

Ad lienem efficacissimam asserit, si succus eius expressus in uino bibatur: tamq; præsenter lienē minuere, ut sues sine lienibus inueniantur, quæ ex alueis ex Tamarice factis ederint.

Cortex tritus datur utiliter ijs qui sanguinem spuunt.

Folia in uino decoquuntur, adiectoq; melle utiliter gangrenis illinuntur: decoctum uero potum, uel impositū cum rosacco & cera, easdē sanat.

Cum altilium pingui furunculis imponitur.

Si cinis eius castrati bouis urinæ misceat, & uel in potu, uel cibo sumptus fuerit, uenerem aiunt eo siniri.

Arabes uolunt lepras curari, si decoctio radicis Tamaricis, cum passulis sæpe bibatur: maxime, si ex melancholicis humoribus lepra fuerit orta.

De SAVINA.

Teutonice/ Seuenbaum.

RHAPSODIA CXLI.

De NOMINE.

VARIAS huic herbę nomenclaturas Gręci tribuerunt. Brathys enim, & Barathron, Barython, & Baron uocauerunt. Romani uero herbam Sabinam, uel Sauinam dicunt.

GENERA & SPECIES eius.

Duum est generum Sabina. Alterum Cupressi folijs, spinosius tamen, graui odore, acre, feruidæq; naturæ. Breuis hæc arbor est, latior quam altior. Alterum eius genus Tamarico simile est.

COMPLEXIO.

Sabina calida est & sicca in tertio, subtilis substantię, aromatica, & amara, propterea & constrictiua.

VIRES ET IVVAMENTA.

Folia eius utiliter ad suffitus & odoramenta uaporantur.

Sistunt eadem quæ pascendo serpunt ulcera.

Illita, inflammationes leniunt, & ex melle nigredines & sordes corporis abstergunt.

Ex uino imposita, exterunt crustas carbunculorum.

Eadem pota, sanguinem cum urina educunt, mortuosq; partus expellunt. Idem apposita & suffita, præstant.

Cum melle & uino pota, regio morbo, iuxta Plinij sententiã, medetur.

Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari tradunt.

Menstrua prouocat ut nulla alia medicina, ob magnã illius subtilitatẽ.

Decoctio ex ea facta cũ lixiuio, additis chamomilla, anetho, parietaria, furfure, origano, matricaria, folijs altheæ, & sapa, omnes dolores uentris & torsiones sedat, si uenter cum spongia ex eo fomententur.

Cum uino cocta, additis parietaria, anetho, & folijs altheæ, superq; pectinem cataplasmata, stranguriam & dissuriam sanat.

De FICV.

Teutonice/ Feigenbaum.

RHAPSODIA CXLII.

DVO Ficuum genera Dioscor. & reliqui faciunt, Satiuum unũ, Syluestre aliud. Satiuæ poma recentia & matura, stomacho noxia sunt, et aluum soluunt, facillime tamen ab eis soluta sistitur. Papulas & sudamina prouocant. Sitim arcent, & calorem extinguunt.

Siccatæ corpus nutriunt, calefaciunt, sitim afferunt, bonamq; aluum faciunt: sunt tamen destillationibus in stomachum inimicæ. Verum gutturi, faucibus, uesicæ & renibus amicæ sunt.

Viles discoloratis a longa ualetudine, suspiriosis, comicialibus, & cutem subeuntibus aquis.

Decocto caricarum cum hysopo, pectoris uitia purgantur.

V 2 Diutinis

Diutinis tussibus, & pulmonum uitijs utiles sunt.

Cum nitro ac cnico tusæ, atq; in cibum sumptæ, aluum molliunt.

Decoctum earum contra tonsillas, & gutturis inflammationes utiliter gargarizatur. Coctæ, tritæq;, ad discutiendos tumores illinuntur.

Strumas, & parotidas emolliunt, & panos maturant: idq; potissimum additis radice iridis, nitro, aut calce. Idem cum prædictis præstant crudæ, tusæq;. Vino incoctæ, cum hordei farina, & absynthio, utiliter hydropicis illinuntur.

Crematæ, atq; cera coactæ, pernionibus medentur.

Crudæ cum sinapi & nitro coactæ, auribusq; inditæ, pruritus eorum & incertos sonitus sanant.

Lac Fici syluestris & satiuæ, lac coagulat, & coagulatum aceti more soluit. Habet uim aperiendi, ulcerandiq;. Aluum soluit.

Fœminarum locos cum tritis amygdalis potum laxat.

Menses cum oui luteo trahit adpositum.

Podagris cum fœnograeci farina ex aceto illinitur.

Lepras exterit, impetigines sanat: discolorem cutem, uitiligines, scabies, manantia capitis ulcera cum polenta emendat.

Scorpionum ictibus succurrit, uulneri instillatum. Eodem modo & canum rabidorũ morsibus, & quæcunq; uenena morsu, ictuue relinquunt.

Prodest dentium doloribus cum lana cauis eorum inditum.

Succus coliculorum Caprifici idem potest, nondum erumpente gemma expressus, in umbraq; siccatus, & repositus.

Habet hic succus parem cum lacte uim exulcerandi.

Si lac animalium in coquẽdo ficulneo surculo pro rude misceatur, magnam soluendi uim acquiret.

Grossi Ficorũ elixi, et illiti, strumas, & coactas in corpore partes emolliunt. Formicas & thymos, additis farina & nitro tollunt.

Folia ex aceto addito nitro illita, capitis ulcera, furfures, & epinyctidas sanant. Fricantur eiusdem asperæ oculorũ palpebræ, & uitiligines albę.

Lixiuium ex cinere Fiti factum, malignis ulceribus prodest, per spongiam madentem impositum.

Intestinorum torminibus per clisterem infunditur, atq; etiam profundos & cuniculosos ulcerum sinus purgat, glutinat, & carne replet.

Bibitur contra sanguinem coagulatum deciduis ex alto, recens per colum traiectum, cum cyathi aquæ exiguo, addito oleo.

Cœliacis, & intestinorum torminibus per se cyathi pondere datum succurrit.

Conuulsis, & neruorum doloribus inungitur cum oleo, sudoresq; prouocat. Contra phalangiorum morsus, & gypsum epotum utiliter bibitũ: id quod ex aliorum lignorum cinere præstat præsertim ex robore.

Multa præterea de Ficis apud Plinium & alios rei rusticæ scriptores licet inuenire, quæ studiosis commendata habere uolumus.

¶De

De AMYGDALO.

Teutonice/ Mandelbaum.

RHAPSODIA CXLIII.

INTER nuciferas arbores Amygdalo primus honor debetur, ex nostræ terræ nascentijs. Neque enim de Indicis, aut Myristicis, quas Muscatas uocant, controuersia est, quæ inter aromata, & nobis exotica censent. Atque inter Amygdalos primaria laus amaris defertur, ob innumeras quas uel in medicinæ usu habent utilitates.

Dulces & quæ edendo sunt, minus sunt efficaces, extenuant tamen, & urinam ciunt.

Recentes cum uiridi operimento sumptæ, stomachum humentem extergunt. Amaræ radix decocta, colorem faciei emendat: id quod & nuces illitæ præstant.

Eędem appositæ, menses euocant.

Fronti, aut temporibus ex aceto & rosaceo oleo illitæ, doloribus capitis subueniunt. Contra epinyctidas ex uino illinuntur, contra herpetas, & canum morsus ex melle.

In cibo sumptæ, somnum conciliant, ac per eum dolorem leuant, urinã ciunt, sanguinisque exscreationes cũ amylo & mentha sumptæ extergunt.

Calculosis, & urinæ angustijs laborantibus, cum passo exhibentur.

Ex amaris amygdalis, melle, & lacte fit eclegma, quod auellanæ magnitudine sumptum, iocinerosis, tussientibus, & colicis opitulatur.

Quinque, aut sex nuclei in cibo præsumpti, ebrietatem arcent.

Vulpes si eas in cibo sumpserit, moritur.

Gummi arboris adstringit & calefacit, ac contra sanguinis exscreationes uuliter bibitur.

Ex aceto impetigines tollit illitum.

Ex uino diluto potum, diutinas tusses sedat.

Ex passo bibitur contra calculos uesicæ.

De OLEO AMYGDALINO.

Purgat Amygdalinum Oleum, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat a facie, uaros cum melle tollit.

Auribus prodest cum rosaceo melle, & punici mali germine decoctũ, auribusque instillatum: uermiculos in his necat, grauitatem auditus & tinnitos discutit, capitis & oculorum dolores tollit.

Furunculis, & a sole ustis cum cera medetur.

Vlcera capitis manantia, & furfures expurgat.

Per se capiti illitum, somnum conciliat.

De QVERCV.

Teutonice/ Eychbaum.

RHAPSODIA CXLIIII.

QVERCVS arbor procera est, tam utilis quam nota omnibus. In miram usque magnitudinem excrescit, latissimeque circumiacentem terram amplexatur radice, quę sibi nonnunquam, Plinio teste, occursantes collium insurgentium more, sese agglomerent: adeo, ut arcuum instar sese reflectent in tantam altitudinem, ut portarum imaginem & usum pertranseuntibus equitum turmis exhibeant. Tantum etiam terræ sinuosis eorum anfractibus præhendunt, ut aliquando aquarum alluuie suffossæ, totas insulas deciduæ secum in mare traxerint.

Adstringendi uim habent omnia quæ ex Quercu proueniunt, folia, fructus, cortex, & galla, maxime uero id quod membranaceum inter lignum & extimum corticem continetur. Nec minus inter putamen glandis, & carnem adnascitur.

VIRES ET IVVAMENTA.

Membranosis medicaminis decoctum cœliacis datur, & torminosis, ac cruenta per sputum reddentibus.

Supponitur etiam membranosum, muliebres fluxiones cohibiturum. Id quod & Glandes possunt.

Glandes. Quæ & urinam eiunt, capitis dolores, & inflationes comestę excitant.

Contra uenenosos ictus, morsusue utiliter eduntur.

Corticis glandium decoctum ex bubulo, aut humano lacte, per se toxicis est antidotum.

Concisę, aut tritæ crudæ glandes, inflammationes illitæ leniunt.

Scirros ex salso adipe suillo illitæ discutiunt, maleficaque ulcera sanant.

Gallæ. Adstringendi etiam uim Gallæ habent uel præcipuam, maxime quæ Omphacitæ, aut immaturæ dicuntur.

Carnium excrescentias tritæ reprimunt, destillationesque in gingiuas, et columellam sistunt, ac oris ulcera curant.

Nucleus in medio Gallæ, cauis dentium inditus, dolores eorum sedat.

Sistunt & sanguinis eruptiones crematæ, & aceto, uinoue, aut ex halmere stinctæ.

Procidua mulierum uuluas decoctum earum restringit.

In aceto, aut aqua madentes, capillos denigrant.

Sunt & utiles cœliacis, torminibusque intestinorum, in uino aut aqua tritæ, ac illitæ: utiliter etiam in eundem usum bibuntur.

In uniuersum utiles sunt ubi adstringere, siccareue mens fuerit.

Viscum. Nascitur etiam Viscum in Quercubus, quemadmodum & in Pyris ac Malis, estque illi discutiendi egregia uis.

Mixtum ceræ ac resinæ pari pondere, parotidas, ac alios abscessus maturat.

Cum thure, uetusta ulcera, maleficosque abscessus mollit.

Coctum cum calce, gagate, aut azio lapide, moxque impositum, lienes minuit.

Leuigat & ungues cum trito auripigmento, aut sandaracha illitum.

De CASTANEIS.

Teutonice/ Kestenbaum.

RHAPSODIA CXLV.

ADSTIPVLANTE sensu communi, ueteres recte Castaneas Glandibus iunxerunt, Sardianas glandes, aut Iouis glandes appellantes. Idem per omnia reliquis glandibus ualent, præsertim quæ inter corium & carnem earum membrana uisitur.

VIRES.

Caro earum ephemero hausto, præsenti remedio est.

Cortex arboris & Castanearum, desiccandi uirtutem habet, dentiumque dolori aceto incocta remediatur.

Castaneæ combustæ, ac tyriẽ superpositæ, sanant eam.

Vehementer nocet auditui, uisui, & arteriæ puluis qui folijs in hac arbore adhæret, ideoque uitandus est ab omnibus.

Glandibus melius nutriunt Castaneæ, uentremque minus stringunt.

De FAGO.

Teutonice/ Büchbaum.

RHAPSODIA CXLVI.

FAGVS in æditis montibus, profundis uallibus, & expassis planiciebus prouenit, folio tenui, leuissimoque, quod Populo simile celerrime flauescit, & media parte plerumque paruulam baccam uiridem gignens, cacumine aculeato.

VIRES.

Fagi glans a muribus maxime appetitur, ac si eius animalis unus prouentus esset.

Saginat eadem glires, expetiturque a turdis.

Fagi folia comeduntur in gingiuarum ac labiorum uitijs.

Cinis glandis Fagi, calculis illinitur, item ex melle alopecijs.

De ALNO.

Teutonice/ Erlenbaum.

RHAPSODIA CXLVII.

AQVOSA & campestria loca sunt Alno accommodatissima, quæ nec semen, nec ullum fructum ferens, fomento tantum ignis nota uidetur. Folio eadem constat crassissimo quod ex feruẽti aqua impositum, tumori præsentaneo est remedio.

De SALICE.

Teutonice/ Wyden.

RHAPSODIA CXLVIII.

INTER infrugiferas arbores, utilitate sua Salix uel Oleis præfertur. Nullius enim est tutior redditus, securiorq́ prouentus, & quæ tempestatibus minus sit obnoxia. Præter enim quod colonis abunde focum instruit ligno, habet etiam ad alios usus innumeros sine impendio utilitates. Ad uiuum uincula illi præcipua dos est: licet multa sint quę ididem præstare possint. ut genista, populi, ulmi, & fissilis harundo.

Tria eius genera nostrates post Asianos fecerunt. Vimineam, uel Purpuream. Vitellinam. & Gallicam, quæ omnium est tenuissima. Ocyssime semen si quod habet, perdit. Quapropter Homerus Frugiperdam nominauit. Hoc scelerosi ad suas nequitias traxerunt, et feminę hoc mulieribus sterilitatem attulerunt. Quapropter prouidens malorum sagax natura, te nuissime hoc semen suffulsit pediculo, cuius uento obnoxio. Sola Creta ad maturitatem perferre traditur, idq́ tantum in descensu speluncæ Iouis: ibidem toruum, ligneumq́ fructum edit ciceris magnitudine. Alias ante maturitatem in araneam abit.

VIRES ET IUVAMENTA

Adstrictoriam naturam habent in Salice folia, semen, cortex, et succus.

Concisa folia, lienosis utiliter ex uino cum modico pipere bibuntur.

Fertur ex aqua pota conceptus prohiberi.

Semen prodest ijs qui sanguinem per sputa rejciunt: id quod & cortex præstat.

Idem incineratus, ac aceto maceratus, clauos & uerrucas illitus tollit.

Succus foliorum ac corticis cum rosaceo in punici mali putamine calefactus, auribus dolentibus est præsidio.

Decoctum eorum podagris eximium præstat fomentum: id quod & furfures exterit.

Cinis corticis succo Salicis admixto faciei maculas extergit.

Est autem hic succus trium generum. Vnum arbor ipsa exudat gūmi modo. Alterum manat e plaga cum floret, exciso cortice trium digitorum magnitudine. Hic succus oculorum obstacula purgat, spissatq́ quæ opus est, urinam cit, & omnes internas collectiones extrahit. Tertius succus qui a falce distillat, detruncatione ramorum. Ex succis unus cum rosaceo, ut supra dictū est, in punici calice calefactus, magnū adfert auribus pręsidium.

Idem cum cæra trita imponitur podagricis.

Cortice & folijs in uino coctis, neruis utilissimum pręstant fomentum.

Intemperantiam libidinis cöercent cōtrita folia, & pota, sæpiusq́ sumpta, in totum eius usum auferunt.

Salicis (quam Amerinam uocant nigram) semen, cum pari pondere spumæ argenti, psilothrum præstat a balneo inunctum.

¶De FRAXINO & eius generibus.
Teutonice/ Oeschenbaum.
RHAPSODIA CXLIX.

FRAXINVS arbor teres est, ac folijs pennatis. Lignum eius ad multa utile est: adeo, ut eius gratia a natura uideatur genita. In Ida Cedro tam est similis, ut ablato cortice intuentes fallat.

GENERA ET SPECIES eius.

Duo eius genera sunt. Longum unum & enode. Breue alterum, durio ri, fusciori q; ligno, folijs laureis: quam Macedones Bumilam uocant: est q; amplissima, lentissima q;. Est et alia diuisio. Campestre unū est genus, cuius lignum crispum ad mensarum tabulas aptissimū. Alterum Montanum, cuius materies altero longe spissior est. Folia huius arboris, equis, & asinis mortifera sunt, ruminantibus cæteris innocua. In Italia tamen ne iumentis quidem nocent.

VIRTVTES ET IVVAMENTA.

Præsentius remedium cōtra serpentium morsus non inuenitur, quam foliorum Fraxini succus epotus, impositis folijs uulneribus. Fugatq; in tantum uel umbra huius arboris serpentes, ut ne matutinas, uel serotinas umbras, quamuis longissime sint, serpens ullus attingat. Expertum est. Si ea fronde ignis in gyro claudatur cum serpente, in ignem potius quam in fraxinum fugere serpentem. Cauitq; sagax natura mira quadam benigni tate, ut prius q; hæ prodeant floreat Fraxinus, nec folia dimittit ante q; re condantur. Lignum eius quem usum a Triano bello habuerit, adhuc hodie uel maxime habet, nempe ut hastis ac lanceis fabricandis sit aptissima. Mira Fraxini uis.

Inest folijs semen, quo iocinerosis, & lateris doloribus medetur, si ex ui no sumptum fuerit.

Extrahit idem hydropicorum aquam, corpusq; obesum onere leuat, at q; ad maciem reducit: si robustis septē folia cum quinq; uini cyathis, pue ro quinq; folia cum tribus cyathis uini exhibeantur.

¶De BVXO.
Teutonice/ Buchßbaum.
RHAPSODIA CL.

HONORATA cum primis Buxus est, firmitate ligni: quod caudice leue est, radice crispum. Nascitur montanis locis & æditis, quam uis & in hortis topiario operi inseruiat.

GENERA & SPECIES eius.

Tria eius genera numerantur. Gallicum, quod cæteris procerius est, Oleastrum, quod uirosos suo odore ab omnibus damnatur. Tertium genus syluestre uocant, id quod satu mugatur, circaq; parietes sese diffundit

Buxo magna uis Pyrenęis & Citoromotibus. Craßißima in Corsica prouenit, amarißima, & flore carens. Folia nunquā amittit. Semen cunctis animantib. inuisum ferens. Lignum eius tā est densum & spissum, ut uim ignis uti ferrum fere euincat, neq; ad flammam, neq; ad carbones utile, prę terea nunq; cariem uetustate sentit.

De TILIA,

Teutonice/ Lynd.

RHAPSODIA CLI.

DVO genera Tiliæ adscribunt ueteres, Maris uidelicet, & Fœminæ: & differentes. Quod maris lignum durum, ruffum, nodosum, atque odoratius sit, cortex quoq; crassior, ac detractus inflexibilis, neq; feminis, neq; floris ferax. Fœmina caudice crassiore est, ligno candido, præcellentiq;. Mirum quibusdam uidetur, fructum ex hac arbore a nullo animaliū attingi, cū tamen foliorum ac corticis succus dulcis sit. Inter lignum & corticem tenues membranæ multo lentore flexibiles, ad funes texendos accōmodatißimæ. Lignum ad fabrilia utile supra modum. nam teredinē non sentit. Nascitur Tilia montanis & campestribus locis.

VIRES ET IVVAMENTA.

Succus corticis Tiliæ, tumores impositus sanat.

Vulneribus inditus masticatus cortex, remedio est.

Folia trita, & ex aqua pedum tumori imposita, præsenti remedio sunt.

Humor a medulla castratæ arboris effluens, defluentes capillos retinet si fuerit illitus.

Tilia leniter tusa, ad eadem atq; Oleaster utilis est.

Folia commanducata, oris infantium ulcera sauant.

Decocta ex uino, urinam & menses ciunt: pota, aut illita, sistunt.

Doctis iudicandū relinquimus, quo pacto Dioscoridis descriptio Tiliæ nostræ conueniat, cū Oleę folia illi adscribat, quibus diuersißima sunt quæ in Tilia usuntur. Paruā illi prętera proceritatem autores assignant, cum apud nos nulla arbor procerior & amplior, quæ latius ramos expandat, inueniatur.

De PINV.

Teutonice/ Dannenbaum/ Fychtdañ/ Fereten/ Lerch und Bynbaum.

RHAPSOCIA CLII.

SEX genera cognatarum arborum inueniūtur, quę a rudibus eodem nomine censentur & genere. Sunt autē Pinus, Pinaster, Abies, Picea, Larix, & Teda: quæ omniū aliarum pinguißima est, piceq; plus abundans, quamuis etiam omnes aliæ tales arbores picem æque fundant, uerū nulla

tamen hæc copiosius. Pinus fert minimũ resinæ, adeo, ut piciferarũ arborũ generi uix adscribatur. Pinaster aliud nihil est, quã Pinus syluestris, editissima arbor, & a medio ramosa, quemadmodum Pinus in uertice est. Copiosiorem dat hæc resinam. Picea montes amat, ad ignis fomitem uirens. Rami illi pene statim a radice modici uelut brachia lateribus inhærent. Similiter & Abieti, quę & ipsa mõtes ambit, ceu maria fugerit. Trabibus, & multis uitæ operibus accommodata est. Vitium illi resina est, quod exiguum aliquando contactu solis exudat. Pulcherrimum illi lignũ est, ad fissiles scandulas, cupas, & alia. Larici idem situs & eadẽ facies est, ligno longe præstantiore: cui uis incorrupta, emori contumax, rubens, & odore acrior. Plusculum illi erumpit liquoris melleo colore, & nunq̃ durascentis. Teda sextum genus, succo quam reliqua abundantior, parcior tamen, ac liquidior quam Picea. Laricis morbus est, ut Teda fiat. Omnia hæc genera accensa fuligine immodica, carbonem repente exprimunt, eruptionis crepitu, eiaculanturq́ longe: excepta larice: quæ nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis ui quam lapis consumitur. Omnia perpetuo uirent, nec facile discernuntur in fronde a periris. Tanta natalium mixtura est. Sed Picea minus alta est quam Larix. Illa crassior, leuiorq́ cortice, folio uillosior, pinguior & densior, meliorq́ flexu. Piceæ uero rariora, sicciora q́ folia sunt, tenuiora ac magis algennia, totaq́ horridior est, & perfusa resina. Lignum uero Abieti similius. Larix ustis radicibus nõ repullulat. Picea repullulat.

Pinus. Pinaster. Picea. Abies. Larix. Teda.

Est & alia in generibus differentia. Mas breuior est, duriorq́: fœmina procerior, pinguioribusq́ folijs, & simplicibus, atq; non rigennibus. Lignum maribus durum & in fabrili opere contortum, fœminę mollius, publico in securibus discrimine. nam mares securim respuunt, fragosius accipiunt, atq; ægrius reuelluntur.

Quamuis Pini recte inter frugiferas arbores computentur, mira tamẽ ex eis utilitas etiam medicinæ accedit: ut interim taceantur, in multipharios linguę usus cõmoditates. Gignunt tamen & ipsę fructus, qui licet eden do non sint, habent tamen aliquid delicati nuclei, quod inter bellaria non postremum locum obtinuit apud delicatulos, nec minus medicinæ quam secundis mensis expetitum, Pineas nuces uocant. Est etiam alius, uel potior Pinorum fructus: nempe Resina, quam copiosissime ad medicinam, & uarios usus hominum fundunt, de qua Pix excoquitur, unde picis oleum tandem ab autoribus in honore habitum excolatur.

Nuces Pineæ.

Vtilitates & MEDICINAE ex Pino.

Nuces Pineæ quæ Resinam habent, contusæ, leuiterq́ decoctæ, dimidium aquæ singulis sextarijs addito, sanguinis exscreationi medentur, si bini cyathi ex eo bibantur.

Nuclei earum sitim sedant, & acrimoniam, rosionesq́ stomachi, ac cõtrarios humores ibi consistentes. Infirmitatem uirium roborant: renibus & uesicæ utiles. Fauces tamen uidentur exasperare, & tussim.

Bilem

Bilem pellunt poti ex aqua, aut uino, aut passo, aut balanorũ decocto.
Miscetur his cõtra uehementiores stomachi rosiones, cucumeris semẽ & semen Portulacæ.
Idem miscetur ad uesicæ & renum ulcera: quoniam & ipsę urinã ciunt.
Totæ Pineæ nuces sicut ab arbore decerpuntur, recentes contusæ, & in passo decoctæ, uetustis tussibus, & tabi accommodatæ sunt, si ex eo decocto trini quotidie cyathi bibantur.
Cortex Pini uino incoctus, contra tormina datur.
Inspergitur intertrigini, & summę cutis ulceribus, ambustisq́; cum spuma argenti, & thuris manna.
Additus ceratis, mirteo oleo coactis, teneris corporibus ulcera ad cicatricem perducit.
Compescit quæ serpunt ulcera, cum atramento sutorio inspersus.
Foetus & secundas suffitu pellit, aluum sistit, potus, & urinam elicit.
Folia concisa & illita, inflammationes uulnerum & leniunt & arcent.
Decocto eorum ex aceto, utiliter dentes in dolore colluuntur.
Iocinerosis utiliter bibuntur ex aqua mulsa, drachmæ pondere.
Vtilis est etiam fuligo ex incensis collecta, ad multas oculorũ incomoditates. nam erosiones lachrymaliũ angulorum compescit, & lachrymas stringit.

¶ Restat Pix, quæ ex hoc genere magnas utilitates exhibet.
Nam Picis natura calfacit, & explet.
Cum polenta, cerastæ morsibus imposita præsidio est.
Anginæ, destillationibus & sternutamentis cũ melle lincta succurrit.
Purulentis auribus instillatur cum rosaceo, illinitur cum cera.
Sanat lichenas, aluum soluit, exscreationes adiuuat in eclegmate, tonsillis cum melle illinitur, sic & ulcera purgat.
Cum uua passa & axungia explet.
Carbunculos purgat & putrescentia ulcera.
Cum pineo cortice aut sulphure, quæ serpunt emendat.
Pthysicis & tussientibus cyathi mensura datur.
Rhagadas pedum & sedis, panosq́; & ungues scabros emendat.
Vuluæ duricias & conuersiones, suffitu & odore sanat.
Cum farina hordeacea, et impubis pueri urina decocta, strumas ad suppurationem perducit.
Vtuntur etiam sicca Pice ad alopetias.
Durescentibus mulierum mammis, cum uino, polline farraceo subfer uefacta, calida imponitur.
Picinum oleum quomodo fiat, apud Plinium & Diosc. inuenire licet. nam ad omnia ad quæ Pix liquida utilis est.

¶ Atq; hic finis esto Operis.

❡ I N D I

FINIS.

IO. SCHOTTVS Librarius Lectori S.

VT EST multorum dispar sensus, uariaq; censura eorum, qui in alienis curiosius nonnunq; quam in proprijs uigilant, ita & in Herbarij hoc Opere nimirum eueniet: plæraq; in illo desyderabuntur fortasse, uel ex syluestribus, uel Germaniæ ignotis herbis. Sciant illi, ex præscripto boni Autoris Catalogo, singulas Rhapsodias subordinasse, eiusdem Medicæ professionis uirum doctissimum D. Michaelem Herum: qui precibus nostris uix eo etiam tractus, ut æque commodo publico, atq; Othonis gloriæ operas suas locaret. Quæ ergo hic uides, Lector candide, parte aliqua suppleta sunt, fatemur. Nam autor ipse fatis concedens, incompletum reliquit Opus, ita ut supra dimidium eius, non sine magna rerum inquisitione, reliqua ex Catalogo illius relicto, subdita sunt: ea certe fide, ut iniusta queraris expostulatione, hæc, uel illa deesse. Neq; eñ licet, Scriptoris cuiusq; argumentũ suffringere, aut emẽdicato titulo, quæ alioqui clara sunt obfuscare. Adde, quod Herbarum indagatio, uti immensum est chaos, ita pro CREATORIS inuestigabili donorum collatione, humanum longe superat ingenium, Neq; omnia nosse uni datum. Quod si ueterum quoque in ea re cuncteris sedulitatem, & illis multa deesse fatearis, necesse est. Num Dioscorides, num post illũ Theophrastus, Plinius, & cæteri omnia perscripserunt, atq; id sine cauillatione? Sed & interim quisnam Dioscoridis aperiet studium, ut ille saltem nobis citra digladiationem pateat? Quĩ igitur (ut aiunt) nihil usquequaq; beatum, sitq; quiddam prodijsse tenus, si non datur ultra, ob doctissimi uiri obitum, ijs contenti simus, quæ citra controuersiam hic descripta sunt. Insunt nempe Operi huic, Herbe nedũ Medicinales, sed & Culinariæ, subiectis Leguminum, Arbustorũ, & Arborum effectibus compendiario quodam usu. Tuum fuerit Lector optime, quæ passim hic sustuleris, ueteribus conferre, num certa, ueraq; sint, illorum itẽ scriptis consona: quæ fidelius licet tradita, ob uitæ nostræ ignauiam, forte capere non possumus uti uere tradita sunt. Vnde non iniuria in hac, quemadmodum et in alijs scientijs, imploranda Domini gratia, ut sublata a nobis aorizia, desinat tandẽ cæcutire infelix & ingrata seculi huius nequitia, quæ pedibus etiam conculcat auro longe preciosiora. Boni ergo hæc consulant legentes, & candorem præferant imposturæ, sicubi falso, in hoc scribendi genere, offendant Brunfelsiana. Nam hic rerum suarum finis destinatus. VALE.

De usu & administratione Simplicium, per eundem OTHONEM BRVNNFELSIVM. A

CVM OMNIS disciplina tribus potissimum constet, præceptione scilicet, usu, & imitatione, tum maxime in re medica: adeo non est postremus usus rerum, ut si nescias tractare & applicare quod multo sudore didiceris, non solū nullam frugem effeceris, uerum multorum etiam cum periculo peccaueris. Operepretium igitur nobis facere uidemur, si post herbarum & cognitionē, & uires, earum etiam aliquam methodum præscribamus, quibus scilicet niti auxilijs, quaue ingredi uia debeant, qui illas laborantibus aliquando sunt exhibituri. Siquidem uidemus hic labi magnos etiam medicos, imò & agyrtas & empiricos, nedum eos qui ex uulgo sunt, qui nullam rerum cognitionem habent. Qui cū simplicibus rebus morbos aliquando aggrediuntur, adeo nihil efficiunt, ut magno etiam cum ęgrorū dispendio morbos deteriores faciant, ac subinde desperatos, & incurabiles reddant. Atq; haud scio, an sit alia perniciosior pestis medicinæ, quàm quod dissimulatis philosophiæ rationibus, & primis eius elementis, inepti quidam, & Thessalij asini, quiduis propinant cuilibet, idq; pro quolibet, nullo adhibito iudicio, nullis consyderatis circumstantijs, cui sexui, quo tempore anni, in qua ætate, quo in loco, & cui morbo singula sint ministranda. Quo fit tandem, ut non solum nullos consequantur effectus rerum, uerumetiam artem ipsam ludibrio exponant. Nec mihi dubium est, quin omnis ille Simplicis medicinæ contemptus, inde irrepserit, quod cum stultis hominibus, non protinus omnia responderent eorum stupori, ignauiam ineptorum artificum, retecerunt in uanitatem scientiæ & naturæ: ut plane expediuisset, nulla hactenus herbaria scripta fuisse: cum illa tam multis exitio fuerunt. Refert igitur, ut in Compositorum pharmacis, ita & in Simplicium rerum effectibus contemplari; non quid herba ipsa solum in libro polliceatur, uerum quo tempore etiā culta sit, quo in loco prouenerit, quando collecta, quomodo seruata, quantum uirens & succulenta, quantum exiccata, & arida ualeat, quo temperamento sit, qua proportione itē ministranda. De quibus cum referti habeantur Medicorum libri, a nobis tamen sic dicentur compendio singula, ut qui nostra legerit, admoneatur eorum fere omnium, quæ alij prolixis commentarijs prosequuntur, nouo scribendi genere, idq; adeo per tabulas. Quod artificium, præterq; quod uehementer utile existit, etiam succinctum est, & plurimum oblectat: proinde memoratur facilius. Eas uero tabellas anteq; proferamus, prius pauca quędam ex Plinio, B Dioscoride, Theophrasto, Varroneq;, & Columella de re rustica, deq; hortorum cultu, præmittemus. Sunt enim & hæc omnia quæ uiam præmuniunt ad exactam herbarum cognitionem: quæ tametsi Doctoribus perspecta habentur, tamen inopia librorum compressis, non mediocre sunt compendium. Alioqn & in toto opere nihil oportuisset citasse autorum, cum omnia ex alijs autoribus transcripserimus. Et iam antea aliquoties monuimus, & nūc denuo contestamur, malle nos ingenue fateri per quos profecerimus, quàm nostra stribiligine, nequissime ueterēs autores ad uerbum transcribere, neq; nominare. Quod cum hodie faciant quidam, qui antiquata gloria ueterum (qui tamen lōge melius, longeq; doctius scripserunt) & alienos labores suos faciunt, Germaniæ lumina uocantur. Poteramus & nos tragicum aliquod huiusmodi moliri, nisi obnoxij plane animi esset, & infelicis ingenij, ut inquit Plinius, deprehēdi in furto malle, quàm mutuum reddere, cum præsertum sors fiat ex usura. Sed omissa contentione, ad nostram Isagogen pergamus.

¶ De his qui latine usus Herbarum scripserunt, & quando ad Romanos noticia earum peruenerit. Item de Herbarum inuentione, & antiqua medicina, & quare hodie minus exerceantur earum remedia. ex Plinij libro uicesimoquinto, capite secundo.

MINVS hoc quàm par erat, nostri celebrauere, omnium utilitatum & uirtutum rapacissimi, Primusq; & diu solus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magister, paucis duntaxat attigit, Boum etiam medicamina non omissa. Post eum unus illustrium tentauit C. Valgius, eruditione spectatus, imperfecto uolumine ad diuum Augustum, inchoata etiam præfatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum Principis semper medicetur maiestas. Ante condiderat solus apud nos, quod equidē inueni, Pompeius, Lenæus, Magni Pompei libertus, quo primum tempore hanc scientiam ad nostros peruenisse animaduerto. Nam-

C q; Mithridates, maximus sua ætate regum, quem debellauit Pompeius, omnium ante se genitorum diligentissimus uitæ fuisse, argumentis, præterq; fama intelligitur. Vni ei excogitatum, quotidie uenenum bibere, præsumptis remedijs, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Primo inuenta genera antidoti, ex quibus unum etiam nomen eius retinet. Illius inuentum autumãt, sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam ueneno uiuerent. Ad illum Asclepiadis medendi arte clari, uolumina composita extant, cum sollicitatus ex urbe Roma, præcepta pro se mitteret. Illum solum mortalium Mithridaten .22. linguis locutum certum est; nec de subiectis gentibus ullum hominem per interpretem appellatum ab eo annis .56. quibus regnauit. Is ergo in reliqua ingenij magnitudine medicinæ peculiariter curiosus, ab hominibus subiectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum & exemplaria, effectusque in arcanis suis reliquit. Pompeius autem omni regia præda potitus, transferre ea sermone nostro libertum suum Lenæum, grammaticæ artis doctissimum, iussit: uitæq; ita profuit non minus q; reipublicæ uictoria illa. Præter hos Græci autores medicinæ prodidere, quos suis locis diximus. Ex his Euax rex Arabum, qui de simplicium effectibus ad Neronem scripsit: Crateias, Dionysius, Metrodorus ratione blandissima, sed qua nihil pene aliud q; rei difficultas intelligatur. Pinxere namq; effigies herbarum, atq; subscripsere effectus. Verum & pictura fallax est ex coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione naturæ: multumq; degenerat transcribentium sors uaria. Præterea parum est singulas earum ætates pingi, cum quadripartitis uarietatibus anni faciem mutent. Quare cæteri sermone eas tradidere. Aliqui effigie quidem indicata, & nudis quidem plærumque nominibus defuncti: quoniam satis uidebatur, potestates uimq; demonstrare quærere uolentibus. Nec est difficile cognitu. Nobis certe, exceptis admodum paucis, contigit reliquas contemplari scientia Antonij Castoris, cui summa autoritas erat in ea arte nostro æuo, uisendo hortulo eius in quo plurimas alebat: centesimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria, aut uigore concussis. Nec aliud mirata magis antiquitas reperietur. Inuenta iampridem ratio est prænuncians horas, non modo dies ac noctes, solis lunæq; defectum. Durat tamen tradita persuasio in magna parte uulgi, ueneficijs & herbis id cogi: in eo namque fœminarum scientiam præualere. Certe quid non repleuere fabulis Colchis Medea, aliæq;, inprimisque Italica Circe, dijs etiam adscriptæ? Vnde arbitror natum, ut Aeschylus e uetustissimis in poetica re, referiam Italiam herbarum potentia proderet. Multiq; Circæios agros, ubi habitauit illa in magno argumento etiamnum durante in Marsis, a filio eius orta genere, quos esse domitores serpentium constat. Homerus quidem primus doctrinarum & antiquitatis parens, multas alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Aegypto tribuit, tum etiam cum rigaretur Aegyptus illa, nõ a... em esset postea fluminis limo inuecta. Herbas certe Aegyptias a regis uxore traditas suæ Helenæ plurimas narrat, ac nobile illud Nepenthes, obliuionem tristiciæ ueniamq; afferens, & ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinandum. Primus autem omnium quos memoria nouit, Orpheus de his herbis curiosius aliqua prodidit. Post eum Musæus, & Hesiodus Polion herbam in quantum mirati sunt, diximus. Orpheus & Hesiodus suffitiones commendauere. HOMERVS & alias nominatim herbas celebrat, quas suis locis dicemus. Ab eo Pythagoras clarus sapientia, primus uolumen de earum effectu composuit: Apollini, Aesculapioq;, & in totum dijs immortalibus inuentione & origine assignata: composuit & DEMOCRITVS, ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Aethiopiæ, Aegyptique magis. Adeoq; ad hæc attonita antiquitas fuit, ut affirmaret etiam incredibilia dictu. Xantus historiarum autor, in prima earum tradidit, occisum draconis catulum reuocatum ad uitam a parente herba, quam Balin nominat: eademq; Tillonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. Et Iuba in Arabia herba reuocatum ad uitam hominem tradit. Dixit Democritus, credidit Theophrastus, esse herbam, cuius contactu illatæq; ab alite, quam retulimus, exiliret cuneus a pastoribus arbori adactus. Quæ etiam si fide carent, admirationem tamen implent: coguntq; confiteri, multum esse, quod uero supersit. Inde & plærosq; uideo existimare, nihil non herbarum ui effici posse, sed plurimarum uires esse incognitas. Quorum numero fuit Herophilus clarus in medicina: a quo ferunt dictum, quasdam etiam fortassis calcatas prodesse. Obseruatum certe est, inflammari uulnera ac morbos superuentu eorum, qui pedibus iter confecerint. Hæc erat antiqua medicina, quæ tota migrabat in Græciæ linguas. Sed quare nunc non plures noscuntur caussæ? Nisi quod eas agrestes, literarumq; ignari experiuntur, utpote qui soli inter illas uiuant. Præterea securitas quærendi, obuia medicorum turba. Multis etiam inuentis nomina desunt, sicut illi quam retulimus in frugum cura, scimusq; defossam in angulis segetis præstare, ne qua auis intret. Turpissima caussa raritatis, quod etiam qui sciunt, demonstrare nolunt, tanquam ipsis periturum sit quod tradiderint alijs. Accedit ratio inuentionis anceps. Quippe etiam in repertis, alias inuenit casus, alias (ut uere dixerim) deus. Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi

Mithridates.

Euax.

Antonius Castor.

D

Homerus.

canis morsus, pauorem aquæ, potusq; omnis afferens odium. Nuper cuiusdam militantis in A
prætorio mater uidit in quiete, ut radicem syluestris rosæ, quam cynorhodon uocant, eblanditam sibi aspectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte (in Lusitania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte) casuq; accidit, ut milite a morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola orantis ut pareret religioni, seruatusq; est ex insperato: & postea quisquis auxilium simile tentauit. Alias apud autores cynorhodi una medicina erat, spongiolæ, quæ in medijs spinis eius nascitur, cinere cum melle alopecias capitis explent. In eadem prouincia cognoui in agro hospitis nuper ibi repertum dracunculum appellatum, caulem pollicari crassitudine, uersicoloribus uiperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedium. Alius est quem nos in priori uolumine eiusdem nominis diximus, sed huic alia figura, aliudq; miraculum exeuntis e terra ad primas serpentium uernationes bipedali fere altitudine, rursusq; cum ijsdem in terram se condentis: nec omnino occultato eo apparet serpens, uel hoc per se satis officioso naturæ munere, si tantum præmoneret, tempusq; formidinis demonstraret.

¶ Alia herbarum laus, ex eodem Plinio libro uicesimoseptimo, capite primo.

CRESCIT APVD me certe tractatu ipso admiratio antiquitatis: quantoque maior copia herbarum dicenda restat, tanto magis adorare priscorum in inueniendo curam, in tradendo benignitatem subit. Nec dubie superata hoc modo posset uideri etiam rerum naturæ ipsius munificentia, si humani operis esset inuentio. Nunc uero deorum fuisse eam apparet, aut certe diuinam, etiam cum homo inuenerit; eandemque omnium parentem genuisse hæc & ostendisse, nullo uitæ miraculo maiore, si uerum fateri uolumus. Scythicam herbam a Mæotidis paludibus, & Euphorbiam e monte Atlante, ultraq; Herculis columnas, & ipso rerum naturæ defectu, parte alia britannicam ex oceani insulis extra terras positis: itemq; æthiopidem ab exusto sideribus axe, alias præterea aliunde ultro citroque humanæ saluti in toto orbe terrarum portari, immensa Romanæ pacis maiestate, non homines modo diuersis inter se terris gentibusq;, uerumetiam montes, & excedentia in nubibus iuga, pastusq; pecorum & herbæ quoq; inuicem ostentant. Aeternum quæso deorum sit munus istud. Adeo Romanos, uelut alteram lucem, dedisse rebus humanis uidentur.

¶ DE LAVDE AGRICVLTVRAE EX MARCO CATONE initio operis sui. B

EST INTERDVM præstare populo, mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet, & item fœnerari, si tam honestum siet: maiores enim nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem duplici condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto peiorem ciuem existimarunt fœneratorem, q; furem, hinc licet existimari. Et uirum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumq; colonum, amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem strennuum, studiosumq; rei querendę existimo, uerum, ut supra dixi, periculosum, & calamitosum. At ex agricolis, & uiri fortissimi, & milites strennuissimi gignuntur, maximeq; pius quæstus, stabilissimusq; consequitur, minimeq; inuidiosus, minimeq; male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.

¶ Quod antiquis maximum studium Agriculturæ fuerit, & de hortorũ singulari diligentia, ex Plinio libro.19. capite primo.

SEQVITVR natura frugum hortorumq; ac florũ, quæq; alia præter arbores aut frutices benigna tellure proueniunt, uel per se tantum herbarum immensa contemplatione, si quis æstimet uarietatem, numerum, flores, odores, coloresque, & succos ac uires earum, quas salutis aut uoluptatis hominum gratia gignit: qua in parte primum omnium patrocinari terræ, & adesse cunctorum parenti iuuat, quanq; inter initia operis defensæ. Quoniam tametsi ipsa materia intus accendit ad reputationem eiusdem parientis & noxia, nostris eam criminibus urgemus, culpamq; nostram illi imputamus. Genuit uenena, sed quis inuenit illa præter hominem? Cauere ac refugere alitibus ferisq; satis est. Atq; cum in arbores exacuant limentq; cornua elephanti, & duro saxo rhinocerotes, & utroq; apri dentium sicas, sciantq; ad nocendum se præparare animalia, quod tamen eorum tela sua excepto homine uenenis tingit? Nos & fa-

C gittas ungimus, & ferro ipsi nocentius aliquid damus. Nos & flumina inficimus & rerum naturæ elementa. Ipsum quoque quo uiuitur aciem in perniciem uertimus. Neque est ut putemus ignorari ea ab animalibus, quæ quidē quæ præpararent contra serpentium dimicationem, quæ post prælium ad medendum excogitarent indicauimus. Nec ab ullo præter hominem ueneno pugnatur alieno. Fateamur ergo culpam, ne ijs quidem quæ nascuntur contenti: etenim quando plura earum genera humana manu fiunt. Quid? nonne & homines quidem ad uenena nascuntur? Atra hominum ceu serpentium lingua uibrat, tabesque animi contrectata adurit culpantium omnia, ac dirarum alitum modo, tenebris quoque & ipsarum noctium quieti inuidentium gemitu (quæ sola uox eorum est) ut inauspicatarum animantium uice obuij quoque uetent agere, aut prodesse uitæ. Nec ullum aliud abominati spiritus præmium nouere, quàm odisse omnia. Verum & in hoc eadem naturæ maiestas tanto plures bonos genuit ac frugi, quanto fertilior in ijs quæ iuuant alunt que: quorum æstimatione & gaudio nos quoque, relictis æstuationi suæ istis hominum turbis, pergamus excolere uitam: eoque constantius, quo operæ nobis maior quàm famæ gratia expetitur. Quippe sermo circa rura est, agrestesque usus, sed quibus uita honosque apud priscos maximus fuerit.

¶ De ijs qui in agri & hortorum cura Romæ illustres fuerunt, ex Plinij libro decimooctauo, capite tertio.

QVAENAM ergo tantæ ubertatis caussa erat? Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (ut fas est credere) gaudente terra uomere laureato, & triumphali aratore, siue illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arua disponebant, qua castra, siue honestis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt. Serentem inuenerunt dati honores, Serranum, unde cognomen. Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato uiator attulit dictaturam, & quidem (ut tradit Norbanus) nudo plenoque pulueris etiamnum ore. Cui uiator, Vela corpus, inquit, ut proferam senatus populique Romani mandata. Tales tum etiam uiatores erant, quibus idipsum nomen inditum est, subinde ex agris senatum ducesque accersentibus. At nunc eadem

D illa uincti pedes, damnatæ manus, inscripti uultus exercent: non tamen surda tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur & ipsa, honore hinc assumpto, ut nunc in uita ea, & indigne ferente credatur id fieri. Sed nos miramur ergastulorum non eadem emolumenta esse quæ fuerunt Imperatorum. Igitur de cultura agri præcipere principale fuit & apud exteros. Siquidem & reges fecere Hieron, Philometor, Attalus, Archelaus & duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantū honorem senatus noster attribuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius eius duodetriginta uolumina censeret in latinam linguam transferenda, cum M. Cato præcepta condidisset, peritisque linguæ Punicæ dandum negocium, in quo præcessit omneis uirum clarissimæ familiæ D. Syllanus, sapientiæ compositissimę. Quos sequeremur prætexuimus in hoc uolumine, non ingrate nominando M. Varronem, qui octogesimum primum uitæ annum agens, de ea re prodendum putauit.

¶ Laus Agricolarum, & quæ obseruanda in agro parando, ex Plinij lib. 18. capite quinto.

FORTISSIMI uiri & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur, minimeque male cogitantes. Prædium ne cupide emas. In re rustica operi ne parcas, in agro emendo minime. Quod male emptum est, semper pœnitet. Agrum paraturos, ante omnia intueri oportet aquarum uim, & uicinū. Singula magnas interpretationes habent, nec dubias. Cato in conterminis hoc amplius æstimari iubet, quo pacto niteant. In bona est, inquit, regione bene nitere. Attilius Regulus ille Punico bello bis consul, aiebat, neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti in pestilentibus durant. Præterea sunt quædam partibus anni salubria: nihil autem salutare est, nisi quod toto anno salubre. Malus est ager, cum quo dominus luctatur. Cato inter prima spectari iubet, num solum sua uirtute ualeat qua dictum est positione. Vt operariorum copia prope sit, oppidumque ualidum: Vt nauigiorum euectus uel itinerum: Vt bene ædificatus & cultus. In quo falli plærosque uideo. Segniciem enim prioris domini pro emptore esse arbitrantur. Nihil est damnosius deserto agro. Itaque Cato, de bono domino melius emi, nec temere contemnendam alienam disciplinam: agroque ut homini, quamuis quæstuosus

sit, si tamen & sumptuosus, non multum superesse. Ille in agro quæstuosissimã iudicat uitem: A
non frustra, quoniã ante omnia de impensæ ratione cauit. Proxime hortos irriguos: nec id fal-
so, si & sub oppido sint. Et prata, quæ antiqui parata dixere. Idemq; Cato interrogatus, qui esset
certissimus quæstus? respondit: Si bene pascat. Quis proximus? si mediocriter pascat. Summa
omnium in hoc spectando fuit, ut fructus is maxime probaretur, qui quam minimo impendio con-
staturus esset. Hoc ex locorum occasione aliter alibi decernitur. Eodemq; pertinet, quod agricolam
uendacem oportere esse dixit. Fundum in adolescentia conferendum sine cunctatione, ædifican-
dum non nisi consito agro. Tunc quoq; cunctanter, optimumq; est (ut uulgo dixere) aliena in-
sania frui, sed ita, ut uillarum tutela non sit oneri. Eum tamen qui bene habitet, sæpius uenturum
in agrum: fontemq; domini plus prodesse quam occipitium, non mentiuntur.

¶ De hortorum cura, doctrina alia, ex Plinio libro decimonono, capite quarto.

AB HIS superest reuerti ad hortorũ curam, & suapte natura memorãdam. Et quo-
niam antiquitas nihil prius mirata est, quam & Hesperidum hortos, ac regum Adonis & Alcinoi,
itemq; Pensiles, siue illos Semiramis, siue Assyriæ rex Cyrus fecerit, de quorum opere alio uo-
lumine dicemus. Romani quidem reges ipsi coluere. Quippe etiam superbus Tarquinius nun-
cium illum sæuum atq; sanguinarium remisit ex horto. In duodecim tabulis legum nostrarum
nusquam nominatur uilla, semper in significatione ea hortus: in horti uero hæredium. Quam
rem comitata est & religio quædam: hortosq; & fores tantum contra inuidentium fascinatio-
nes dicari uidemus. In remedio saturnica signa, quanquam hortos tutelæ Veneris assignante
Plauto. Iam quidam hortorum nomine in ipsa urbe delicias, agros, uillasq; possident. Primus
hoc instituit Athenis Epicurus, hortorum magister. Vsq; ad eum, moris non fuerat in oppidis
haberi rura. Romæ quidem per se hortus ager pauperis erat. Ex horto plebi macellum, quan-
to innocentiore uictu. Mergi enim credo in profunda satius est, & ostrearum genera naufragio
exquiri: aues ultra Phasidem amnem peti, & fabuloso quidẽ terrore tutas, imo sic preciosiores.
Alias in Numidia atq; Aethiopia in sepulchris aucupari, aut pugnare cum feris, mandi ab eo
cupientem quod mandat alius. At hercle, quam uilia hæc, quam parata uoluptati satietatiq;, nisi eadem B
quæ ubiq; indignatio occurreret. Ferendum sane fuerit, exquisita nasci poma, alia sapore, alia
magnitudine, alia monstro, pauperibus interdicta: inueterari uina, saccisq; castrari; nec cuiq; a-
deo longam esse uitam, ut non ante se genita potet. E frugibus quoq; quoddam alimentum ex
cogitasse luxuriam, ac medullam tantum earum, superq; pistrinarum operibus & cælaturis ui-
uere, alios pane procerum, alios uulgi, tot generibus usq; ad infimam plebem descendente an-
nona. Etiamne in herbis discrimen inuentum est? Opesq; differentiam fecere in cibo, etiam u-
no asse uenali. Et in his aliqua quoq; sibi nasci tribus negant, caule in tantum saginato, ut pau-
peris mensa non capiat. Syluestres fecerat natura corrudas, ut quisq; demeteret passim. Ecce al-
tiles spectantur asparagi. Et Rauenna ternis libris rependit. Heu prodigia uentris. Mirum esset
non licere carduis pecori uesci, non licet plebi. Aquæ quoq; separantur. Et ipsa naturę elemen-
ta ui pecuniæ discreta sunt. Hi niues, illi glaciem potant, pœnasq; montium in uoluptatem gu-
læ uertunt. Seruatur algor æstibus, excogitaturq;, ut alienis mensibus nix algeat. Decoquunt
alias, quas mox & illas hyemant. Nihil itaq; homini sic, quomodo rerum naturæ placet. Etiam
ne herba aliqua diuitijs tantum nascitur? Nemo sacros, Auentinosque montes, & iratæ plebis
secessus circumspexerit? Mors enim certe æquabit quos pecunia superauerit. Itaque hercle,
nullum macelli uectigal maius fuit ROMAE clamore plebis incusantis apud omnes
Principes, donec remissum est portorium mercis huius: compertumque, non aliter quæstuo-
sius censum haberi, aut tutius, ac minore fortunæ iure, cum credatur pensio ea pauperum. Is
in solo sponsor est, & sub die redditus, superficiesque cœlo quocumque gaudens. Hortorum
CATO prædicat caules. Hinc primum agricolæ existimebantur prisci, & sic statim fa-
ciebant iudicium, nequam esse in domo matremfamilias (etenim hæc cura fœminæ diceba-
tur) ubi indiligens esset hortus. Quippe carnario aut macello uiuendum est, nec caules ut nunc
maxime probabant, damnantes pulmentaria quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo par-
cere. Nam carnis desyderia etiam erant in exprobratione. Horti maxime placebant, quia non
egerent igni, parcerentque ligno. Expedita res & parata semper, unde & acetaria appellaban-
tur, facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo, & quæ minime accederent ad desyderium
panis. Pars eorum ad condimenta pertinens, fatetur domi uersuram fieri solitam, atque non
Indicum piper quæsitum, quæque trans maria petimus. Iam quoq; in fenestris suis plebs ur-
bana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi prospectus

C omnis coëgit multitudinis innumeræ, sæua latrocinatio. Quamobrem sit aliquis & his honos, neue autoritatem rebus uilitas adimat, cum præsertim etiam cognomina procerum inde nata uideamus, Lactucinosque in Valeria familia non piguisse appellari: & contingat aliqua gratia operi curæque nostræ, Vergilio quoque confesso, quam sit difficile uerborum honorem tam paruis perhibere. Hortos uillæ iungendos non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat profluo amne. Si minus, e puteo pertica, organisue pneumaticis, uel tollenonum haustu rigandos. Solum proscindendum a fauonio, in autumnum præparandum est post quatuordecim dies, iterandumque ante brumam. Octo iugerum operis palari iustum est. Fimum tres pedes alte cum terra misceri, areis distingui, easque resupinis puluinorum toris ambiri singulis tramitum sulcis, qua detur accessus homini, scatebrisque decursus.

In his hortis nascentium alia bulbo commendantur, alia capite, alia caule, alia folio, alia utroque, alia semine, alia cortice, alia cute, aut cartilagine, alia carne, alia tunicis carnosis. Aliorum fructus in terra est, aliorum & extra, aliorum non nisi extra. Quædam iacent crescuntque, ut cucurbitæ & cucumis. Eadem & pendent, quanquam grauiora multa etiam iis quæ in arboribus gignuntur. Sed cucumis cartilagine. Cortex huic uni maturitate transit in lignum. Terra conduntur rhaphani, napique & rapa, atque alio modo inulæ, siser, pastinacæ. Quædam uocabimus ferulacea, ut anethum, maluas. Namque tradunt autores, in Arabia maluas septimo mense arborescere, baculorum usum præbere extemplo. Sed & arbor est malua in Mauritania Lixi oppidi, æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur 200. passuum ab oceano, iuxta delubrum Herculis, antiquis Gaditano ut ferunt. Ipsa altitudinis pedes. 20. crassitudinis, quam circumplecti nemo possit. In simili genere habebitur & cannabis. Nec non & carnosa aliqua appellabimus, ut spongias in humore pratorum enascentes. Fungorum enim callum, in ligni arborumque natura diximus, & alio genere tuberum paulo ante.

¶ Ratio rigandorum honorum, & quæ translata meliora fiant. Item de succis hortensiorum & saporibus, ex Plinij libro. 19. capite duodecimo.

D HIS HORAE rigandi matutina atque uespera, ne infetuescat aqua sole. Ocimo tantum & meridiana etiam. Satum celerrime erumpere putant inter initia feruenti aqua aspersum. Omnia autem translata meliora grandioraque fiunt, maxime porri, napique. In translatione & medicina est, desinuntque sentire iniurias, ut gethyum, porrum, rhaphani, apium, lactucæ, rapa, cucumis. Omnia autem syluestria fere sunt & folijs minora & caulibus, succo acriora: sicut cunila, origanum, ruta. Solummodo ex omnibus lapathum syluestre melius. Hoc insatiuum rumex uocatur, nasciturque fortissimum. Traditur semel satum durare, nec unquam uitiari, terra maxime iuxta aquam. Vsus eius cum ptisana tantum in cibis leuiorem gratioremque saporem præstat. Syluestre ad multa medicamenta utile est. Adeoque nihil omisit cura, ut carmine quoque comprehensum repererim, in fabis caprini fimi singulis cauatis, si porri, erucæ, lactucæ, apij, intubi, nasturij semina inclusa serantur, mire prouenire. Quæ sunt syluestria, eadem in satiuis sicciora intelliguntur & acutiora. Namque & succorum saporumque discenda differentia est, uel maior in his quam pomis. Sunt autem acres cunilæ, origani, nasturij, sinapis. Amari, absinthij, centaureæ. Aquatiles, cucumeris, cucurbitæ, lactucæ. Acuti tantum cunilæ. Acuti & odorati, apij, anethi, fœniculi. Salsus tantum e saporibus non nascitur, alioquin extra insidit pulueris modo, & circulis tantum aquæ, ut intelligatur uana, ceu plærumque uitæ persuasio. Panax piperis saporem reddit, magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine acceptio. Libanotis odorem thuris, murrha myrrhæ. De panace abunde dictum est. Libanotis locis putridis & macris ac roscidis seritur semine. Radicem habet olusatri, nihil a thure differentem. Vsus eius post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam nomine alio rosmarinum appellant. Ersmyrnium olus seritur iisdem locis, myrrhamque radice resipit. Eadem & siliquastro fatio. Reliqua a cæteris odore & sapore differunt, ut anethum. Tantaque est diuersitas atque uis, ut non solum aliud alio mutetur, sed etiam in totum auferatur. Apio eximi in coctis obsonijs aceto, in eodem cellario in saccis odorem uino grauem. Et hactenus hortensia dicta sint, ciborum gratia duntaxat. Maximum quidem opus in iisdem naturæ restat, quoniam prouentus tantum adhuc, summasque quasdam tractauimus. Vera autem cuiusque natura non nisi medico effectu prænosci potest, opus ingens occultumque diuinitatis, & quo nullum reperiri posse putatus. Ne singulis id rebus contexeremus iusta fecit ratio, cum ad alios medendi desyderia pertinerent, longius utriusque dilationibus futuris si miscuissemus. Nunc suis quæque partibus constabunt, poteruntque a uolentibus iungi.

¶ De morbis hortorum, & remedijs circa formicas, & culices, ex Plinio lib. 19. capite decimo. A

MORBOS HORTENSIA quoque sentiunt, sicut reliqua terræ sata. Namque & Ocimum senecat, degeneratque rite in Serpillum, & sisymbrium in calaminthain. Et ex semine brassicæ ueteris, rapæ fiunt. Atque inuicem enecatur cyminū ab imo dorso, nisi repurgetur. Est autem unicaule, radice bulbo simili, non nisi in solo gracili nascens. Alias priuatum cymini morbus, scabies. Et ocimum sub canis ortu pallescit. Omnia uero accessu mulieris menstrualis flauescunt. Bestiolarum quoque genera innascuntur. Napis culices, raphano erucæ, & uermiculi. Item lactucis & oleri. Vtrisque hoc amplius, limaces & cochleæ. Porro uero priuatum animalia quæ facillime stercore iniecto capiuntur, condenna in id se. Ferro quoque non expedire tangi rutam, cunilam, mentam, ocimum, autor est Sabinus Tiro in libro cepuricon, quē Mæcenati dicauit. Item contra formicas non minimum hortorum exitium, si non sint rigui, remedium monstrauit, limo marino, aut cinere obturatis earum foraminibus. Sed efficacissime heliotropio herba necantur. Quidam & aquam diluto latere crudo inimicam eis putant. Naporum medicinæ sunt, siliquas una seri, sicut olerum cicer. Arcet enim erucas. Quæ si omissio iam natæ sint, remedium absinthij succus decocti inspersus & sedi, quam aizoum uocant, genus hoc herbę diximus. Semen olerum si succo eius madefactum feratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. In totum uero nec erucas, si palo imponantur in hortis ossa capitis ex equino genere fœminę duntaxat. Aduersus erucas & cancrum fluuiatilem in medio horto suspensum auxiliari narrant. Sunt qui sanguineis uirgis tangant ea, quæ nolunt his obnoxia esse. Infestant & culices hortos, riguos præcipue, si sunt arbusculæ aliquæ. Hi galbano accenso fugantur. Sabinus Tiro.

¶ De qualitatibus Herbarum uestigandis ex colore, odore, & succis, ex Plinij libro. 21. capite septimo.

TROIANIS temporibus ei iam erat honos. Et hos certe flores Homerus treis laudat, loton, crocon, hiacynthum. Omnium autem odoramentorum, atque adeo herbarum differentia est in colore, & odore, & succo. Odorato sapor raro ulli non amarus, econtrario dulcia raro odorata: itaque & uina odoratiora mustis, syluestria magis omnia satiuis. Quorundā odor suauior e longinquo est, propius admotus hebetatur, ut uiolæ. Rosa recens a longinquo olet, sicca propius. Omnis autē uerno tēpore acrior, & matutinis. Quicquid ad meridianas horas dies uergit, hebetatur. Nouella quoque uetustis minus odorata. Acerrimus tamen odor omniū ætate media. Rosa & crocum odoratiora, cum serenis diebus leguntur: & omnia in calidis magis quam in frigidis. In Aegypto tamen minime odorati flores, quia nebulosus & roscidus aer est a Nilo flumine. Quorundam suauitati grauitas inest. Quædam cum uirent non olent, propter humorem nimium: ut buceros, quod est fœno græcū. Acutus odor non omnium sine succo est, ut uiolæ, rosæ, croco. Quæ uero ex acutis succo carent, eorum omniū odor grauis, ut in lilio utriusque generis. Abrotonum & amaracus acres habent odores. Quorundam flos tantum iucundus, e liquæ partes ignauæ, ut uiolæ ac rosæ. Hortensium odoratissima quæ sicca, ut ruta, menta, apium, & quæ in siccis nascuntur. Quædam uetustate odoratiora, ut coronea, eademque decerpta, quam in suis radicibus. Quædam non nisi defracta, aut ex attritu olent. Alia non nisi detracto cortice. Quædā uero nō nisi usta, sicut thura, myrrhæque. Flores triti omnes amariores quam intacti. Aliqua arida diutius odorē continent, ut melilotos. Quædam locum ipsum odoratiorē faciunt, ut iris, quin & arborem totam cuiuscumque radices attingunt. Hesperis noctu magis olet, inde nomine inuento. Animalium nullum odoratum, nisi de pantheris quicquam dictum est, si credimus. B Buceros, fœnum græcū.

¶ Quibus temporibus maxime legendæ sunt herbæ, ex DIOSCORIDIS prologo.

VERVM IN PRIMIS curam impendere oportet, ut suis temporibus singula & demetantur, & recondantur. Intempestiue enim decerpta, conditaue, aut nullo, aut eua nido munere funguntur. Serena etenim cœli constitutione demetenda sunt. Magni siquidem refert inter colligendum, si uel squallores, uel imbres infesti sint: quemadmodum si loca in quibus prodeunt diuosa, & uentis exposita sint, & perflata, frigidaque, & aquis carentia.

C in his enim locis uires eorum longe ualidiores intelliguntur. Contra, quæ in campestribus, riguis & opacis, cæterisq; locis a uento silentibus enascuntur, plærumq; degenerant, & minus uiribus ualent; multoq; magis, si non suis horis peropportune colligantur, aut si per imbecillitatem intabuerint. Neq; ignorandum, q; sæpe præcoci, aut serotina loci natura, aut anni dementia, maturius, aut celerius adolescunt. Nonnulla propria ui hyeme florent & folia pariunt, quædam bis anno florifera. Quare cui in animo est, horum peritiā assequi, necesse est ijs prima germinatione solo emergentibus, adultis, & senescentibus adesse. Nam qui pullulanti herbæ duntaxat astiterit, adultam cognoscere non potest: neq; qui adultam tantū inspexerit, nuper erumpentem noscet. Quo fit, ut propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum, seminisq; magnitudinem, nonnulli qui olim has ætatum uarietates non perspexerunt, magno in errore uersentur. Quæ caussa etiam nonnullis scriptoribus imposuit, qui herbas quasdam, uerbi gratia, Gramen, Quinq;folium, & Tussilaginem, emittere florem, fructum, & caulem negant. Ergo qui sæpius ad uisendas herbas, & earum loca se contulerit, earum cognitionem maxime consequetur. Scire etiamnum conuenit, sola ex herbaceis medicaminibus Veratri genera, nigrum inquam & candidum, multis edurare annis: reliqua a trimatu inutilia. Quæ uero ramis scatent, sicut Stichas, Trixago, Polium, Abrotonum, Seriphum, Absinthium, Hyssopum, & alia id genus semine pregnantia, demetantur. Flores quoq; anteaquam sponte sua decidant. Fructus autem ut maturi excutiantur necesse est, & semina ubi siccari cœperint, priusq; defluant. Herbarum succus, & foliorum elici debet, germinantibus adhuc cauliculis. Lac & Lachrymæ excipiantur, inciso per adolescentiam caule. Radices, & liquamenta, corticesue, ut recondantur, eximere conuenit, cum hærbæ suis folijs exuuntur. Siccantur etiam expurgatæ inibi, locis asperginem non redolentibus: sed quæ luto, aut puluere sunt obsitæ, aqua elui debent. Flores, & omnia quæ iucundum odorem efflant, arculis tiliaceis nullo situ obductis reponantur. Nonnunq; charta, aut folijs semina, ut perennent, apte inuoluuntur. Liquidis medicaminibus densior materia, argentea, uitrea, aut cornea conuenit. Fictilis, etiamsi modo rara non sit, accommodatur, & lignea, præsertim e buxo: sed ænea uasa liquidis oculorum medicamentis, quæ aceto, pice liquida, aut cedria componuntur. Adipem autem & medullas stagneis uasis recondi conuenit.

D

De differentijs HERBARVM ex historia plantarum THEOPHRASTI.

¶ Parteis primæ, maximæ, communesq; PLANTARVM sunt,

Radix, Ramus,
Caulis, Surculus,

Radix, id sunt, quo alimentum attrahitur.

Caulis, in quod alimentum defertur.

Rami, qui a caule fissi multiplices sparguntur.

Surculus, quod ex his indiuiduum, simplexq; oritur.

¶ Secundæ partes.

Cortex. Lignum.
Matrix, id est, medulla.

¶ His quædam quasi annuæ parteis accedunt, quæ partus fructuum accommodantur.

Folium. Flos.
Pediculus, id est, quo folium dependet.
Capreolus. Muscus.
Semen. Fructus.
Neruus. Vena. Caro.

¶ Partes nouissimæ.

Humor. Liquor. Lachryma.

¶ De NERVIS.

Nerui ac uenę per se quidem nominibus carent, quadam uero similitudine, nomina partium animalium consortiuntur.

Neruos habent, fissilia prelonga, continua.

Venæ neruo similes, sed maiores, crassioresq;, & ramulos, humoremq; habenres.

Caro omnibus dimensionibus diuidi potest.

Cortex pars ultima, & a subiecto corpore separabilis.

Matrix, quod in medio ligni tertium a cortice continetur, uelut medulla in ossibus. Non nulli appellant id, Cor.

Lignum, quod ex neruo & humore, nonnulla etiam carne.

¶ De constitutione prædictorum.

Hæc cum indurescunt, transeunt in lignum, ut Palma, Ferula.

Matrix ex carne & humore cōalescit.

Cortex quidem ex tribus illis, ut Roboris, Populi, Pyri.

Quædam ex humore & neruo, ut Viris.

Folia, ex humore & carne.

¶ Prima nascentium DIFFERENTIA.

Arbor Frutex,
Suffrutex. Herba.

ARBOR est, quod radice, caudice simplici, ramosum, nodosum, surculosum, aut facile dissolubile assurgit, ut Olea, Vitis, Ficus.

Frutex, quod ab radice caudice multiplici ramosumq; se attollit ut rubus, paliurus.

Herba, q̃d ab radice foliatũ sine caudice prouenit, semenq; caule fert, ut frumẽta, atq; olera.

SECVNDA differentia ARBORVM.

Sunt enim

Vrbanæ. Steriles.
Syluestres. Floriferæ.
Fructiferæ Flore carentes.

Tertia differentia de ARBORVM

Formis.

Formis quoq; in ipsis differentiæ totorum atq; partium patent.

Magnitudo. Mollicia.
Paruitas. Leuitas.
Duricia. Asperitas corticis.
Foliorum pulchritudo.
Bonitas & prauitas fructuum.

QVARTA differentia PLANTARVM.

Quædam non nisi in aquis uiuunt.
Quædam in terra sicca tantum.
Aliæ in paludibus.
Aliæ in lacubus.
Aliæ in fluuijs.
Quædam in ipso etiam mari.
Quædam in littoribus.

QVINTA differentia PLANTARVM.

Aliæ proceræ, ut,
Abies. Pinus. Cupressus.
Quædam caudice breui, ut,
Salix. Ficus. Punica.
Quędam item
Caudice uno. Minus ramosæ.
Pluribus. Crassæ.
Ramosæ. Tenues.
Cortice tenui sunt,
Laurus. Tilia.
Cortice grosso,
R O B V R.
Cortice leui,
Malus. Ficus.
Cortice scabro.
Robur. Suber Palma.

Hę cum adolescunt, leniori cortice sunt: cum succrescunt, crassiore.

Quibusdam cortex cadit, ut,
Portulacæ. Vnedoni. Arbuto.
Quibusdam cortex carnosus, ut,
Suberi. Robori. Populo.
Alijs neruosus & macilentus, ut, A
Viti. Arundini Tritico.
Alijs multiplicibus tunicis, ut,
Tiliæ. Lino.
Abieti Genistæ.
Vit. Cæpis.
Alijs simplex, ut,
Fico. Arundini. Lolio.

Sexta differentia ab ARBORVM MEDVLLIS.

Aliæ:
- Habent medullas.
- Carnosam medullam.
- Lignosam.
- Membranæ similem.
- Carent Medullis.
- Medullam carnosam habent

Vitis. Ficus. Punica.
Sambucus. Ferulæ.
Lignosam medullam habent
Larix. Abies. Pinus.
Duriorem & spissiorem
Cornus. Ilex. Morus.
Robur. Cytisus
Ebenus. Celtis.
Quæ quidem coloribus distant. B
Magnam atq; perspicuam,
Ilex. Robur.
Paruam, incertioremq;,
Olea. Buxus.
Nomen enim in his distincte spectatur.
Nullam.
P A L M A.

Septima differentia a RADICIBVS.

Multas & longas Radices habent
Ficus Robur Platanus.
Paucas
Punica Malus.
Vnam tantum
Abies Pinus.
Quibus una tantum prægrandis descendit,
Nodosas & uillosas,
O L E A.
Altas
R O B V R.
Lignosas
O Z Y M O N.
Carnosas.
Beta Aron Hastula regia.
Ex carne & cortice,
Raphani Rapæ.
Geniculatas,
Harundines Gramina.

Octaua differentia PLANTARVM.

Aliæ nodosæ. Aliæ Enodes.

C Enodes

Iuncus Tipha Gladiolus,
Palustrina, & quibus cortex leuis

Nodosæ

Sambucus Olea
Laurus Pinaster
Ficus Oleaster

Ex quibus quædam minus, quædam uero magis nodosæ.

Mares frequenter fœminis nodosiores, in quibus uterq; sexus habetur.

Quod in arboribus Nodus, in Vitibus uocatur Gemma, in Harundinibus Geniculum, in Vlmo & Robore Crade uocatur.

Nona differentia PLANTARVM & Arborũ.

Quædam longe. ut,

Abies Cupressus Palma.
Et quæ simpliciore assurgunt caudice.

Quædam in ramos sparguntur. ut,

Punica Malus.

Quædam decurtatæ plus fructus afferunt. ut,

Vitis. Quæ uero
Non truncatæ, minus afferunt.

D

Decima differentia PLANTARVM, & Arborum.

Ex Vrbanis

Quædam perpetuo uirent. ut,

Olea Palma Laurus.
Pini genus quoddam
Myrtus Cupressus.

Ex Syluestribus

Abies Sabina Pinaster.
Iuniperus Smilax Thuia.
Et ea quam Arcadæ Phe lodryn appellant;
Tilia Ilex
Cedrus Celastrus
Picea Phillyca
Myrica Acuta spina
Buxus Apharca.

Arbores in Agro Elephantino.
Quercus in agro Thurio.
Platanus in Creta.
Platanus alia in Cypro.
Quæ monte Olympo proueniunt,
Porula a Arbutus
Terebinthus Laurus.

Porulaca & Vnido folia inferiora dimittere, cacuminibus perpetuo uirent, ramisq; assidue præpostere gignunt.

Ex Fruticibus

Ruta Sansucum
Brassica Serpillus
Rosa Libenotis, id est, Rosmarinus
Viola Apium
Abrotanum Aequapium

Papauer, & syluestrium genera complura.

Ex Fruticibus.

Hedera Rubus Harundo
Rhamnus Cedrula

Ex his nonnulla cacumine perdurant, amissis reliquis. ut,

Apium Aequapium Origanum.
Nam & Ruta affligitur atq; muratur.

Quædam cito germinant, & tardius mittunt folia. ut,

A M Y G D A L A.

Quædam tardius germinant & æque citius amittunt folia. ut,

M O R V S

Citius amittunt folia, quæ in locis arctibus; tardius quæ in humidis. Item citius ueteranæ, tardius nouellæ plantulæ.

Vndecima differentia a FOLIIS.

Vertunt supinas parteis foliorum mox post solsticium Aestiuum

Olea Vlmus
Tilia Populus.

Eorum argumento rustici solsticium confectum intelligunt.

Quædam ampla folia habent. ut,

Vitis Ficus Platanus.

Quædam angustiora. ut,

Olea Punica Myrtus.

Rara

Pinus Abies Cedrus.

Carnosiora

Cupressus Myricæ Malus.
Et in fruticum genere Stibia.

Ex herbis carnosa.

Semperuiuum Polion.

Harundinacea

Palmæ Gladiolus
Coici Butomos.
Et quæ foliis angularibus constant

Orbiculata. ut,

P Y R I.

Oblonga. ut,

M A L I.

In acutum producta. ut,

H AE D E R A.

Serrata & multifida

Abies Filix.
Vitis quoq; aliquatenus fissa, Fici.

Insecta

Vlmus Robur Nux auellana.

Quædam cum extremo, tum lateribus sinuata considuns.

Ilex Robur Smilax
Rubus Paliurus.

Quibusdam spinæ pro folio sunt. ut,

Acorni Drypodi.
Acanthi, omniaq; pene genere spinosa.

Folium nullum habet
A S P A R A G V S.
Pediculo carent
Scyllæ Bulbi.
Pediculos longos habent
Vitis Hędera.
Breues
O L E AE.

De Oleribus duodecima differentia.

Quibusdam statim ab radice oritũ olus, ut,
Cepe Intybo erratico
Allio Hastulæ regiæ
Scillæ Iringo
Bulbo atq; in totũ bulbosis.
Quibusdam folijs iam perfectis, ut,
Lactucæ Rubo Paliuro.

Tredecima differentia.

Quædam sunt folijs
Multis Ordinatis
Paucis Inordinatis.
Quædam folijs
Magnis Paruis Angustis
Leuibus Cauis
Aculeatis Asperis.
Quædam dependent ab
Radice Germine Ramo
Caule Pediculo.
Quædam fructũ super folijs gerũt, ut,
Laurus Alexandrina.

¶ De CONSTITVtione foliorum.

Constant folia
Neruo Fici
Cortice ut
Carne Vitis.
Quædam ex neruo tantum ut,
Harundinis Frumenti.
Humor communis omnium est.

¶ De Pediculis.

Pediculorum
Alij ex neruo tantum constant, ut harundinis, frumenti.
Alij ex eisdem, quibus caulis.

¶ De natura FLORVM.

Florum alij ex
Cortice Vena Carne.
Carne tantum, ut qui inter folia nascuntur.

¶ De natura FRVCTVVM.

Fructuum
Alij ex carne & neruo.
Alij ex carne tantum.
Nonnulli ex cute.
Quædam ex humore & neruo, ut,
CVCVMERES.
Ex humore & cute, ut Mori, Punicæ. A
Alij secus distinguuntur.
Omnium pars exterior, cortex.
Interior, caro.
Quorundam etiam nucleus.

¶ De SEMINVM differentia.

Postremũ in oibus semen est: hoc humorẽ, calorẽq; insitum habet, qui cũ defecerint, semen infœcundum relinquitur.
Quorundam semen protinus post tegmen ambiens subest, ut,
Palmæ Nucis amygdalæ.
Quædam conteguntur carne.
Quædam siliquis.
Alia uasculis, ut Papauer.
Quædam folliculis.
Alia nuda patent, ut Anetũ, Coriandrum, Cuminum, Fœniculus.
Arborum nulla semine nudo, sed aut carne obducta, aut cute, aut crusta, ceu glans.
Nullum in uasculo semen arboris est.

¶ De differentia SVCCORVM. Nam

Alij uinosi Vitis, mori, myrti
Pingues Oleæ, lauri, nucis, amygdalæ, Pini, laricis, abietis
Dulces Fici, palmæ, roboris, glandis. B
Acres ut Origani, satureię, nasturtij, sinapis.
Amari Absinthij, fellis terræ
Odorati Anesi, cedrulæ
Diluti Prunorum
Acidi Punicorum.
Humorum alij
Lactei Papaueris, fici
Resinacei Abietis, Pini
Aquosi ut Vitis, pyri, mali, cucumerum, cucurbitæ
Acres Thymi, satureiæ.
Suaueolentes Apij, anethi, fœniculi.

¶ De differentia ODORVM.

Plantarum.
Quædam flores habent odoratos.
Quædam folia odorata.
Quibusdam fructus odorati.
Alijs neutrum.
Alijs pars reliqua.

¶ Differentia SAPORVM.

Plantarum.
Quædam mandi queunt
Aliæ edulijs ineptæ.
In quibusdam folia manduntur, non fructus, ut in Tilia.

C Quibusdam fructus & non folia.

¶ Alia FLORVM differentia.

Florum alij
Lanuginei, ut Vitis, mori, hederæ
Foliati, ut Amigdalę, mali, pyri, pruni.
Grandes Candidi
Bicolores Phœnicei
Vnicolores Subrubei Crocei.
Vno folio, ut Flos Iasionæ.
Florem circa fructũ, uitis, olea producunt,
Semen sub floribus habet, Rosa
Cum seminibus flores edũt, Veneria, Cnicum, Gith, Pepo, Cucurbita, Cucumis.

¶ De differentia in fructificando.

Arbores aliæ
Fructũ ex nouellis surculis gignũt, ficus, uitis.
Ex annatinis, olea, punica, nardus, amygdala, pyrus, myrtus.
Ex utrisq;
Grandibus ex ramis, Siliqua
In cacuminibus fructificant, Palma
Lateribus
In parte utraq;.

¶ Modus sationis & generationis ARBORVM.

Arborum aliæ
D GIGNVNTVR
Sponte Ramo
Semine Surculo
Radice Trunco
Auulsione Ligno conciso.
De quibus latissime uide in Columella.
Oia quæ semẽ ferũt, semine quoq; gignunt.
Ex semine tantũ nascuntur.
Abies Pinus Palma
Larix Omnes coniferæ.

¶ Generatio SVFFRVTICVM.

Suffruticum atq; herbarum pars maior semine, radiceq; nascitur.
Quædã cum utroq;, nonnullæ ex germinib.
Arbores quæ ex fructibus suis feruntur, oẽs fere deteriores prouenĩũt. Theoph. lib. 2. cap. 3.

¶ Quæ herbę trãseant in alias.

Degenerant
Sisimbrium Meu
Triticum Lolium.

¶ Alia differentia Radicum.

Radicum aliæ
Squamis constant Rotundæ
Carne Oblongæ
Cortice uestiuntur Vescendæ
Nudæ adhærent Ingustibiles.

Quædam esui aptæ sunt, ut,
Hastulæ regiæ Enlis
Scyllæ Pastinacæ
Ari Petroselini
